JUDICIA,

(SEU

LEGUM CENSURÆ)

DE

Variis Incontinentiæ Speciebus,

Adulterio *scil.*
Polygamia & Concubinatu.
Fornicatione.
Stupro.
Raptu.
Peccatis contra Naturam.

Incestu & gradibus prohibitis.

Additâ insuper explicatione quî ex communi *Rationis jure* Delicta hæc *inhonesta*, & humanæ Felicitati inimica esse arguantur.

Solennibus in Acad: pro Gradu Lectionibus publicè exposita.

Per ROBERTUM SHARROCK LL. D.

Δικαίω Νόμος οὐ κεῖται; ἀνόμοις δὲ καὶ ἀνυποτάκτοις ἀνοσίοις καὶ βεβήλοις, πόρνοις καὶ ἀρσενοκοίταις. κλ. 1 Tim. 1. 9, 10.

Ludovicus Christianus Etiegehausius Corbaccensis Valdeccus Haderslebiae Cimbrorum. CIↃIↃCCLI.

OXONIÆ,

Excudebat H. HALL Academiæ Typographus Impensis THOM. ROBINSON. 1662.

REVERENDISSmo IN CHRISTO

PATRI AC DOMINO

Dno HUMPHREDO,

Providentiâ Divinâ

EPISCOPO *SARISBURIENSI*:

Ampliſſime Præſul,

OMnes ferè eximiam eſſe affirmant illam *Ciceronis* Animadverſionem, Vbi, hominibus intra Officiorum ſuorum ambitus coercendis, plus proficere aiebat *Duodecim Tabulas* (exiguum illud Legum Romanorum promptuarium) omnibus omnium

Philoſophorum Libris & Sermonibus, quocunque decore ac venuſtate compoſitis, quacunque amplitudine exaratis. Et ratio erat, quod *Leges ipſæ* quæ diſtrictè pœnas in Nefarios exigunt, & faciunt ut quotidiè publicè coram populo irrogentur, Vulgo (quod maxima hominum pars eſt) incommoda & infelicitatem malè viventium manifeſtius oſtendunt, quam *dogmatica* quælibet *Sapientum axiomata*, aut *politiſſimæ Philoſophorum Diſſertationes*.

Quæ ſi probata ratio fuerit, conſentaneum erit, Eum, qui Sæculares aut Eccleſiaſticas leges de delictis popularibus deſcripſerit, pœnáſque, quibus hæc delicta coërcentur, explicaverit, non minus de Republ: mereri, quam ſi longâ rationum ſerie (quam nec Elephantini continerent ingentes libri) in vitia iſthæc inveheretur. Atque ſub hac ſaltem σφραγίδι, quæ primò occurrit Tractatûs hujuſce pars, atque Legum cenſuram in ſpecies Incontinentiæ explicat, *Paternitatis veſtræ* favori ſibi arrogat ſeſe humilimè commendare. Cum

Cum autem pernotum mihi sit, Omne, quod *Potentia* aliqua in hominum mentibus pollet, eam tum *duplam* reddere, cum non tantum terrorem incutiendo animis imperet, sed amore & deliciis amplexari cœperit; cogitabam Me descriptioni huic Legum *pretium* aliquod & *Valorem* accumulaturum, si, Auctarii loco, hasce ita exhiberem Leges ut occultior earum appareret Utilitas; Atque ipsa acerrima severitas dulcis, amabilis, adeoque perenni Hominum voluptati Fautrix, sentiretur, ut Intelligens omnis fateri cogatur, ipsas has Legum angustias, atque hanc acerbitatem pœnarum, felicitati humanæ in hoc sæculo Vitæ, planè esse necessariam.

Hoc autem posterius memoratum ostendere libentius sum aggressus, quod non paucorum calculis (quibus improbandæ *severitatis* bonas *postulare Leges* nimis est familiare, quique se *lascivientibus* discinctorum Ingeniis quam Mo-

rum probitati malint Patronos) plurima sub hoc Titulo delicta à nigro subducuntur Vitiorum stigmate. Taceo Nepotum ipsorum & Asotorum, in Flagitiorum suorum defensione, insolentiam. Taceo quod ex Capitibus de Officiis Hoc ab omnibus æstimatur explicatu difficilimum, Quomodo scil: Officia hæc, quæ Regulæ de Continentiâ communi Hypothesi exceptæ præcipiunt, humano Generi & sæculari ejusdem Beatitudini conducunt. Aliud tamen est quod tacere nequeo: Illud enim mihi primam proposuit ansam Materiam hanc paulo severiori investigandi scrutinio. Anni jam plures sunt elapsi ex quo cum Theologo quodam, sceptici nimis, sed subtilis Ingenii viro, congressus sum; Is inter alia quæ defendere amabat παράδοξα sæpius solebat declamare *Nuptias singuli cum singulâ malè à Theologis poni solam legitimam piámque copulationis rationem.* Inquiebat enim *plures esse conjunctiones*

posse

posse (nec in ponendis casibus hæsitabat) *communi Theologorum æstimatione, sub definitionibus & censurâ Adulterii, Concubinatus, Fornicationis aut aliarum Incontinentiæ Specierum comprehensas, quæ Christianæ Caritati non adversarentur, plures etiam quæ eandem promoverent.* Deinde assumebat *Omnes istas conjunctiones quæ non adversantur Caritati, actiones esse medias, easque inter ἀδιάφορα censeri debere; Omnes quæ promovent, necessaria esse, quibus exequendis tenemur, Officia.* Assumptionem ex Oraculo illo divino confirmabat, ubi dicitur quod *Finis Mandati est Caritas.* Inde enim argumentabatur, Quod, *cum Finis amabilitatem det & definiat bonitatem mediorum, Universaliter concepta Dei præcepta eatenus tantum obligare, nec alias esse observanda, nisi quatenus observatio eorundem ad Finem Christianæ Legis, Dilectionem, conduceret:*

Miratur Pietas vestra dogmatum Portenta

Portenta: ſed tempus loquor in quo, univerſâ Affricâ una Anglia monſtris frequentior ſcatebat. Ego, cum cogitarem Deum non Finem tantum Legis, Dilectionem, ſed media etiam ad eum Finem conducentia, ſecundaria ſcil: Officia, ſingulatim ſæpius per ſe aut Secundus Legatos ſuos (ut in hac Nuptiarum ordinatione) præmonſtraſſe; Atheiſmum ſapere opinabar, divina, ineptitudinis ad Scopum cui deſtinabantur, poſtulare Media. Ex illo igitur tempore Præcepta contra Incontinentiæ ſpecies, à Deo lata, omnéſque eorundem caſus ambitúſque (prout ſe obtulerunt) curioſius ſpeculabar, ut divinæ Legis bonitatem inde intuerer; valeremque defendere (cujus contrarium aſtruebat Theologus) Nuptias ſinguli cum ſingulâ ſolam eſſe univerſaliter utilem, ſolam legitimam piamque copulationis rationem; Nullâſque eſſe conjunctiones ex communi Chriſtianorum

rum Hypotheſi, ſub Cenſurâ Adulterii, Concubinatus, Fornicationis, aut aliarum Incontinentiæ ſpecierum, comprehenſas, quæ Chriſtianæ Charitati non adverſâtur, atque humanæ Felicitati non repugnant: Neque aliam poſſe inveniri viam, quâ, ad Beatitudinem humani generis abſque injuriis, atque hominum inquietatione, conſervandam, certo poſſit contendi, Juſtis Nuptiis potiorem. Omnia autem hæc eo fine meditabar, ut etiam præceptorum horunce, quæ Incontinentiæ obveniunt, exemplo, illuſtris illa Divina Veritas confirmari poſſet, DEUM (infinitâ noſtrâ ad eum Obligatione non obſtante) *nihil Creaturæ ſuæ rationali præcepiſſe, niſi quod, ſi generaliter obſervetur, beatitudinem ejus plurimum promoveret.* Aut ſi variare ampliareque ſententiam liceat: *Quod maxima quæ cogitari, aut Mundum beare poſſit, enaſceretur univerſalis omnium Hominum etiam in hac Vita Felicitas, ſi, excuſſâ vitiorum fœce, per totum terrarum*

rarum Orbem Dei mandatis uniformiter esset obtemperatum.

Atque has jam, Reverendissime Antistes, Meditationes, ad Paternitatis vestræ pedes relinquo provolutas, magnificum Claritatis vestræ humiliter ambientes patrocinium. Neque aliò se vertere, neque alia se Genua incerare sustinere potuerunt: cum Oblationem hanc summa vestra tam in Theologia, quam in Legibus eruditio omni jure exigat; Eximia autem in Autorem benevolentia fecerit, ne aliam velit ausitve jam appellare Patronum.

Paternitati vestræ

in omni animitus Obsequio

Devotissimus

ROB: SHARROCK.

Index Capitum & Rerum Præcipuarum quæ in ſingulis Capitibus continentur.

Præfatio Pag. 1.

CAP. I. De Adulterio. pag. 5.

Art. 1. *De Adulterii definitione.* ib.

Art. 2. *De pœnis Adulterio irrogatis.* 6.

Digreſſio de Excommunicatione, in qua Diſciplina Eccleſiæ Anglicanæ â malevolorum calumniis defenditur. 9.

Art. 3. *De ratione pœnarum & prohibiti Adulterii.* 11.

1. *Ratio ex Fide læſa.* ib.

2. *Ex damno innocentibus illato.* 12.

3. *Specialiter ex damno quod proli conjugis innocentis inde contingit* 15.

4. *Ex neglectis in ſuam ipſius prolem corpalem* ib.

5. *Ex noxâ ipſi Adultero, propter familiæ inquietationem & conjugis Zelotypiam, ingruenti.* 17.

6. *Summa Rationum.* 20.

CAP. II. De Polygamia & Concubinatu.

Art. 1. *De Polygamiæ & Concubinatûs definitionibus, & quod antiquitus Pellex idem ſignificabat quod modo Concubina.* 22

Art. 2. *Legum cautela, circa Polygamiam & Concubinatum ne admitterentur; & propter hæc admiſſa Cenſura.*

censuræ 23.
Ad tollendum Concubinatum stipulationis cautela à Legibus introducta est, quo tempore Vitium hoc, legum severitate minus coercetur. 24.
Art. 3. De Ratione prohibiti concubinatus & Polygamiæ. 25.
Art. 4. De Concubinatu Innuptorum & ejus incommodis. 24.
Art. 5. Quæstio de Concubinatu propter defectum prolis ex legitimo Conjugio; An scil. is admittendus sit. 29.
Explicatio casus, qualis Concubinatus is sit. ib.
A nonnullis honestus censetur & exemplis probatur. 30
In Christiana Ecclesia prohibetur. 31
Et cautum est ne is omnino contingeret casus. 32
Animadversio: Quod jus canonicum in Regno Angliæ nondum penitus sit sublatum: sed, sub limitatione saltē aliquali, vim Legis adhuc obtineat. 33

CAP. III. De Fornicatione. 34

Art. 1. Quid per vocem πορνεία significetur. 35
Rahab an Lupanar an Cauponam exercuerit. 36
Art. 2. De Fornicationis definitione. 37
Art. 3. Quomodo coercetur Fornicatio. Obiter item de pœnis arbitrariis, pecuniariis & commutationibus. ibid.
Causa cur Pœnitentiæ & pœnæ Ecclesiasticæ arbitrariæ magna ex parte sint relictæ. 38
An pœna pecuniaria ab Ecclesiastico Judice infligi possit: — Et an corporalis possit in pecuniariam commutari. 39
An Judex emendas, seu Mulctas pecuniarias possit in

ſuum Uſum convertere. 40
De Incommodis quæ ex Commutationibus, pecuniarum Exactione & in ſuos Uſus Converſione, judicibus Eccleſiaſticis ſæpius acciderunt. 41, 42
Eccleſiæ, ad hæc ſcandala præcavenda Anglicanæ Providentia. 42
Art: 4. *De merito Fornicationis. Ubi rationes explicantur cur inhoneſta & ſocietatum humanarum felicitati inimica judicari ea debeat.* 43
Arg: 1. *Ex incommodo reſpectu prolis & σοφῶν incurrum.* 44
Reſponſio Objectis. 46
Arg: 2. *Ex nox â inde Innocentibus ſolitâ contingere.* 47
Imprimis Infanti aut Vitiatæ. 47, 48
Quod Duella & noxiæ contentiones ex Fornicatione oriri ſoleant. 49
Arg: 3. *Quod graviſſimi inde inferantur humano corpori morbi.* 50
Opinio Sennerti quod extirpato Fornicationis Uſu ipſa lues venerea poſſit extirpari. ib.
Quod inde augeatur carnis concupiſcentia. 52
Arg: 4. *Quod prolis etiam certitudo inde tollatur.* 54
Et turpis Fama contrahatur. 55
Summa ἀνοιῶν in Fornicatione repertarum. ib.

CAP: IV. De Stupro.

Art: 1. *De definitione Stupri.* 57
Art: 2. *De pœnis Stupro irrogatis.* 58
Art. 3. *De merito Stupri & illius prohibiti rationibus.* 60
Parentum poteſtas in Nuptiis liberorum. 64, &c.

CAP

CAP: V. De Raptu.

Art: 1. *De definitione Raptûs.* 67
An Meretrix Raptus ſubjectum eſſe poſſit. ib:
Art: 2. *De pœnis in Raptores irrogatis.* 68
Art: 3. *Rationes prohibiti Raptus.* 71

CAP: VI. De Peccatis contra Naturam.

Art. 1. *Cujuſmodi ſunt peccata quæ contra Naturam eſſe dicuntur, & quæ eorundem Species.* 73
Art: 2. *De Pœnis in hujuſmodi peccata irrogatis.* 74
Art: 3. *Cur peccata hæc à Legibus tam divinis quam humanis ſunt prohibita.* 76

CAP: VII. De Inceſtu & Gradibus prohibitis.

Art. 1. *Qui Gradus in Matrimonio jure ſunt prohibiti.* 80
Tabula Matthæi Archiepiſcopi Cantuarienſis.
Tabulæ defenſio: Et an quis poſſet ſororem Vxoris defunctæ ducere? 89
Art. 2. *Pœna inceſtarum & vetitarũ Nuptiarum.* 90
Art: 3. *Rationes inceſtûs prohibiti, ſeu cur qui in Gradu propinquiori ſunt, Matrimonio ſunt interdicti.* 92
An ex poſitivo Dei præcepto prohibita ſint propinquiorum Connubia. 95
Propinquiorum Connubia à quibuſdam gentibus damnata-

damnata. ib.
Eadem apud quasdam permissa & approbata. 96
Generalis ratio cur sanguine & affinitate conjunctissimorum conjugiis interdici publicè interfit. 97
Quæstio celebris, *De Consobrinorum, seu Patruelium conjugiis: Vbi secundum Ordinem temporum ostenditur quatenus justa atque honesta, tam in Imp: Romano, quam in Ecclesia Christianâ hæc Conjugia, unoquoque sæculo sunt æstimata.* 99
Exempla hujusmodi Nuptiarum, atque Vsus earundem in Rom: Rep: ib:
ICtorum omnium, secundum Ordinem ætatum quibus quisque floruit in Imp: Rom: Opiniones, quibus honestati hujusmodi Nuptiarum astipulatur. 100, 101, 102, 103, 104, 105, 106
Caracalla Vestis Clericis antiquitus in Vsu 102
De interdicto Theodosii & contrario ejusdem Rescripto, quo scil. Consobrina legitima fiebat Uxor. 103, 105
Ad Ecclesiasticorum sententias circa hanc controversiam Transitus. 106
Patrum sententiæ qui in 4. primis à Christo nato Centuriis floruerunt: In quibus solus est Ambrosius qui aliâ lege quam Civili hæc Consobrinorum Matrimonia prohiberi censuit. 107, 108
Jus Canonicum in Romana Ecclesia ab anno 506 conjugiis hisce interdixit. 109, 110
Communis vero etiam Romanensium sententia est, Ecclesiam hujusmodi, in gradibus remotioribus, Nuptiis interdixisse non ex Jure Divino, sed sua solummodo autoritate. 110, 111
Vnde Pontifex facilè in his dispensat non item in propioribus. 111
Summa Historiæ de reputata harum Nuptiarum honestate. 112

ERRATA.

ERRATA.

Quæ, dum Autor febre decubuit, Prælo irrepſerunt, facilis Lector ſic corrigat.

Pag. 1. *lin.* 12. *lege* conſilio. *p.* 9. *in Marg:* calumniis. *p.* 12. *l.* 15. *dele* ea. *in marg.* illato. 23, 20. Hinc Impp. 27, 30. ſunt hæc. 28, 11. Imperatores; iidem. 31, 4. Nobili, & 35, 10. apud Siraciden. 11. ἐμοιχεύθη. 16. οἰκήματα. 36, 14. & honeſtiori. 41, 13. Ordinarius, 14. converteret. 43, 15. vacante, 22. ſuperius memoratis. 47, 11. ratione. 48, 5. eſſe judicium. 14. ex præcepto. *l. ult.* alit ubi tranſeuntes fortè lædere poſſit. 55, 3. hac minuatur. 11. reclaman- 62, 6. jacturam fecit. 64, 8. hac in re. 67, 12. aliorúmque teſtim. 70, 23. quæ coacta. 76, 25. naturali. 82, 13. *dele* &. 88, 15. irrogata. 92, 4. interdicti. 93, 27. -ſcendenti. 95, 18. fratrum. 103, 9. Chriſti.

PRÆFATIO.

IGnoſcite mihi Auditores, quacunque eſtis modeſtiâ, quod in Prælectionibus, quas pro more Academiæ habere publice jam mihi neceſſe eſt, de rebus factu pudendis loquuturus conſcendi roſtra. In ipſo præloquii exordio, ne qua offenſam pariam, polliceor me, quæcunque eſt materia, Aurium veſtrorum caſtitati pariturum; & rem, utcunq; turpem, lotis tamen manibus & eloquii puritate, quantum potero, tractaturum. Ego quidem, præpropero fortean concilio, hos exceſſus quos *Incontinentiæ Species & delicta circa Venerem* Jureconſulti nuncupant, quos Theologi, (ſcholaſtici præſertim) *Luxuriæ circa Venerem ſpecies*; quaſi caput ſingulare & argumentum delegi ſequentibus prælectionibus pro meo modulo illuſtrandum. Temeritatem autem hanc noſtram aliquatenus excuſare poſſit, quod in hoc Angliæ regno Civili-canonico potiſſimum Jure conjugalis regitur contractus & ejuſdem, ſi quæ accidunt, vindicantur violationes. Neque, ut ex Doctiſſimi noſtri *Zouchei* recenſione videre eſt[1], [a] ex Delectis quæ contra caritatem fiunt & Judicio Eccleſiaſtico coercentur, alia quæcunque occurrunt hiſce graviora.

[a] *Deſcript. Juris Eccles. part. 2. ſect 9. de delictis contra charitatem.*

Titulus autem hic capita ſub ſe videtur iſthæc continere.

1. De Adulterio.
2. De Concubinatu & Polygamia.
3. De Fornicatione.
4. De Stupro.
5. De Raptu Virginis.
6. De Sodomia & peccatis contra Naturam.
7. De Incestu & Gradibus prohibitis.

In quibus omnibus tria potissimum eniti decrevi. Primum scilicet ut per Finitiones, aut Descriptiones pro rerum & casuum differentiis claras, & perspicuas singulæ delictorum species distincte declarentur.

Alterum est ut pœnæ singulis peccatorum speciebus legibus infligendæ speciatim patefiant.

Tertium denique ut *Finis* Legum hâc in re latarum, & gravium, leviumque pœnarum causæ & rationes plenè & perfectè enarrentur, & damnum aut publicè aut privatim, vel in alios sanguine disjunctos, vel in ipsam delinquentium prolem illatum, vel alitèr in delictis hujusmodi contingens explicetur, cui protelando, arcendoque Lege jubente, pœnarum Remedia, & Medelæ latæ sunt & propositæ.

Causa verò cur hos præ cæteris tractandos susceperim Titulos præcipua est: Quod, cum Leges tam populares quam naturæ ipsius prohibendis, & vindicandis damnis ex hominum nequitiâ nascentibus, & fines Conditoris nostri frustraneos facere volentibus, latæ inprimis sunt & impositæ; nullum reperiam caput in quo, ex quacunque de moribus Hypothesi, iniquitas est obscurior, & quo publicum & privatum incommodum ex delictis promanans difficilius cognoscitur, quam in iis excessibus qui Luxuriæ circa Venerem species vulgo audiunt. Si quis enim plagium fecerit, homicidium commiserit, innoxium vulneraverit, aut concusserit, res vi rapuerit, furtum fecerit, fidem datam

tam violaverit, aut tale aliquod admiſerit facinus, nemo eſt qui non factam injuriam agnoſcit, nemo quî non damnum reſarciendum inclamat: ſin delictum aliquod ex iis, quæ circà Venerem contingunt admittatur, Læſi certo lamentantur & graviter ferunt, cæteri plerunque quaſi caſus eſſet fortuitus, aut non valdè afficiuntur, aut certè rem ludibrio excipiunt.

Qui inſuper voluptatibus ex hujuſmodi nequitiis promanantibus deliniri ſolent ut caſtè vivant non ſunt ſolliciti, modo cautè poſſint cæno ſuo volutare, aut ſe quoquo modo, atque ipſa peccata ſua quacunque ἀγράφῳ, valeant defendere. Hi Terentianam illam ſententiam, ceu amicam, Utrâque amplectuntur ulnâ, *Non eſſe flagitium Adoleſcentulum ſcortari*, ſed generoſioris jactant Ingenii Sanguinisque argumentum; & vitium quod obſcuriori forſan indicio Naturâ vetuit, haudquaquam eam illud omninò vetuiſſe amant cogitare.

Ipſi etiam in flagitiorum ſuorum patrocinium, neſcio quos Naturæ Juriſque univerſalis interpretes, & Pſeudo-Theologiæ (quam ſibi ipſis concinnârunt) Doctores ſolent advocare. Qui nullum eſſe in Fornicatione, ut vocant, ſimplici, quæ omnes Gentes moratiores uſas eſſe prædicant, delictum aut incommodum: Nullam in Polygamiâ aut Concubinatu, quæ veteres in Eccleſiâ honeſtârunt Patres, injuriam aſſerunt: Stuprum aut nullum eſſe, aut leve ſaltem admiſſum, quod voluntas utriuſque partis illic ſupponatur; adeoque ſi libuerit, fieri poſſit vel Legitimi, quod rident, Matrimonii initium. Raptum caſum eſſe, qui contingere vix poſſit, quod impoſſibile apud eos habeatur invitam corrumpi. Leges de inceſtu ad Judaicum tantum ſpectâſſe Populum, Leviticæ inſtitutionis fuiſſe partem, nec à ratione, aut communi juſtitiâ poſſe fundamentum ſuum derivare.

Atqui hæc quidem omnia falsa esse, & temerè insinuata quisquis ostenderit, is mihi videtur officium præstiturus Religioni, Paci, Regnisque omnibus, in Pietate & vitæ Honestate diu florere desiderantibus perutile & necessarium. Ego autem in his prælectionibus me Instituto meo non parum satisfeciſſe existimavero, si, ut præmisi, delictorum speciebus prius distinctè finitis & terminatis, populares pœnæ vulgò his irrogatæ flagitiis, aliquatenus ex hâc meâ opellâ innotescant: & deinde ostendam quatenus ex naturâ ipsâ delictorum emergat Injustitia, Damna inferantur innocentibus, variaque Incommoda inde necessariò oriantur, & Fines perinde per istiusmodi injurias frustrentur nobis à naturæ authore præstituti: adeoque opus esse ut hæ tollantur prorsus è communi vita, aut Legum severitate acriter puniantur.

In hoc autem argumento *Hypothesin de officiis* non ita pridem à me editam, quasi firmam, ratam & communem adhuc præsumam: per quam ut generaliter in omnibus (quatenus in corrupto jam sæculo ex naturâ dignoscimus) sic in his specialitèr casibus Phænomena morum, & honestioris vitæ possint, saltem aliquatenus, resolvi. Cogitabam certè omne illud quod in communi vitâ ex communi judicio pro vitio habetur, ex principiis ibi positis nigro indecori charactere notari; omnem virtutem dignitate suâ insigniri, sartam rectam servari, & defendi: Nollem tamen in istâ Assertione sentire insolentius. Hoc tamen audactèr dicam; Quod si quæ sint delicta, quæ signatis illic naturæ præscripris non clare & perspicuè circumscribuntur, ea inprimis sunt quæ circà illicitam Venerem versantur. Iniquitas enim & damnum (quod libentèr fateor, & reipsâ evincitur) ex iis aut eorum nonnullis humano generi accedens non ità clarè innotescit sed multo

multo difficilius, quam in cæteris omnibus delictorum ſpeciebus & cernitur, & ex certis Naturæ indiciis deducitur; Ita ut & ipſi præclari quantumcunque Theologi & Jureconſulti in hoc argumento frequenter hæreant. In tam arduâ igitur ſcepſi ſi quod velim minus obtineam, nec difficultatibus nobis occurſantibus evadam ſemper ſuperior, honeſta tamen noſtra eſt, nec culpanda, uti ſpero, audacia in Magnis vel Voluiſſe.

CAP. I.

De Adulterio.

Art. 1. *De Adulterii definitione.*

ADulterium propriè & ſtrictè ſic dictum, prout ſtupro cæteriſque illicitæ Veneris ſpeciebus contradiſtinguitur, Sic videtur ſecundum Jureconſultorum Doctrinam non ineptè poſſe definiri; Quod ſit *Fœdiſſima nequitia* [a] *quâ ſanctiſſimum Tori fœdus ſummâ ſolennitate coram Deo confirmatum turpiſſimè violatur*, [b] *Uxoriſque ſive ſponſæ tollitur honeſtiſſima Matrimonialis Pudicitia.* Cui fere conſentanea eſt Aquinatis & Scholaſticorum Doctrina; quâ definiunt Adulterium determinatam luxuriæ ſpeciem, quâ Vir ad alterius Uxorem vel mulier ad alterius Virum accedit. [c] A ſtupro diſcernunt conſulti quod hoc ſemper in maritatam fiat (committens ſit Uxoratus ſivè ſolutus jure civili non refert) ſtruprum ſtrictius ſic dictum in Virginem ſub Parentis Poteſtate exiſtentem admit-

a *Cod. ad L. Jul. de adulterio.*
b *Gædeus ad prim. L. 101. n. 4, 8, de Verborum ſign. Vultei: commen. Inſt. ad princ. tit. de Nupt. n. 18. & adque 4. n. 4. de publ. Jud.*
c *Thom. Aq. 22. Art. 8.*

admittatur, [a] aut ex jure Veteri in Viduam, quod nos ad fornicationem simplicem; aut in Puerum etiam, quod nos ad Speciem peccatorum contra Naturam (Sodomiam scil) potius referimus: Fornicatio in Meretricem committitur aut aliam honestiorem & sui juris Personam, sed matrimonio solutam: Omnia autem hæc delicta sine Vi fiunt, sin Vis accedat Raptus, dicetur.

[a] *Gæd. ad L. 101. inter stuprum: de Verb sign. n. 1. Modestinus F. ad. L. Juliam de Adult. C. stuprum* 34.

Art. 2. *De pœnis Adulterio irrogatis.*

Coërcendo atroci Adulterorum flagitio varie à variis gentibus est provisum. In jure Veteri Judiciali adulterii pœnam capitalem à Deo constitutam omnes norunt. Lex est: *Si quis deprehendatur cubans cum muliere maritatâ, omninò morientur pariter ambo, Vir qui cubavit cum muliere & mulier ipsa* Deut. 22. 22.

Etiam & inter Ethnicos qui severius in Adulteros animadvertebant vita propterea mulctabant. Opilius Macrinus Imperator, adulterii reos semper vivos simul incendit, junctis corporibus; ut Autor est Julius Capitolinus *in Macrini Vita.* Messalina capite damnata est, ut adultera, teste Dione Cassio *Lib.* 6. Populus quisque quibus certa proles placuit scelus hoc odio capitali sunt prosequuti: nec defuerunt qui Parricidio gravius existimabant adulterium. Sesostres ut Author est Diodorus Siculus Lib. 2. Biblioth. c. 1. omnes impudicas & corruptas mulieres jussit una in Villam congregari, deinde simul cum Villâ, ut fœdos sic Ardores honestiori incendio aboleret, comburi.

Ultimumque supplicium Jure civili pœnam Adulterii ordinariam esse videre est ex *C. ad L. Juliam* de Adul. *l.* 9. *Castitati temporum.* Et rescripto Constantini ad Evagrium *Cod. eod*; *l. Quamvis* 30. ubi sacrilegio

ſacrilegio hoc delictum comparat. Verba ſunt: *Sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet* & inſignis Lex eſt Inſt. de publ. Judiciis. *Publica Judicia ſunt quædam Capitalia. Capitalia dicimus quæ Ultimo ſupplicio afficiunt homines, vel etiam Aquæ, & Ignis interdictione, vel Deportatione, vel Metallo. Cætera ſi quam Infamiam irrogant cum damno pecuniarum, hæc publica quidem ſunt, non Capitalia. Publica autem Judicia ſunt hæc, Lex Julia Majeſtatis &. §. ſeq. Item Lex Julia de Adulteriis coërcendis quæ non ſolum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit: Sed & eos qui cum Maſculis neſandam Libidinem exercere audent &c.* Quæ his proximè Lex attexuit de Stupro & diverſis ejus pœnis, infrà in ſequentibus opportunius erunt proferenda. Liquet igitur ordinariam circa hoc delictum pœnam capitis jure antiquo fuiſſe; nèc deſunt exliteratioribus nonnulli Doctores qui ex moribus pravis & extra ordinem pœnam relegationis, & deportationis eſſe irrogatam conſentiunt; & proinde Juriſ-conſultorum in digeſtis reſponſa, magis errores & morum corruptionem, quam ipſas Leges & veterum conſuetudines ſapere. Gœdd. d. l. 101, & ad l. 42. n. 26.

Sequiori ſæculo contra turpitudines mitius cavit Lex: aut certe pœna in leniorem commutata. Octavius quippe Cæſar [a] Julias, filiam & neptem, ob hujuſmodi probra relegavit. Filiam in inſulam Pandateriam & in oppidum Rheginorum, neptem in inſulam Trimerum. [b] Neque aliam quam exilii pœnam Octavium adulteris irrogaſſe Autor eſt Seneca *lib. de Clementia.* In Regno Angliæ à reformatione legum Eccleſiaſticarum ex Autoritate primum Henrici octavi inchoatâ & per regem Edoardum ſextum provecta, nondum perfectâ, nec firmiter ſtabilita, in Clericis, Laicis, Maritis

a *Sueton in Octav. c. 65. Senec. lib. 3. de benef. cap. 32.*

b *Cornel. Tacit. lib. 1. & 4.*

tis & Uxoribus, omnibus scil. nullo conditionis aut sexus discrimine cautum erat ut persona quæ hujusmodi admisisset nefas vel in perpetuum ablegaretur exilium, vel tenebris & æternæ carceris custodiæ manciparetur: Vide *Tit. de Adulterio cap.* 2. 3. 4. Atque ex eadem reformati juris censura (Laicum in Clericis enim severius animadvertebatur) adulterii damnatum uxori suæ Dotem restituere oportebat, Bonorum insuper universorum dimidiam partem eidem Uxori (quo ei aliquatenus satisfieret) concedere, Uxores pariter si crimen adulterii contra eas probatum fuerit, & judex adversus illas pronuntiaverit dotibus carebant, atque omnibus emolumentis quæ vel ullo Regni Angliæ jure, vel Consuetudine, vel pacto, vel promisso poterant ex bonis maritorum ad ipsas descendere; quæ sane Censura ex Veteri Ecclesiasticâ sententiâ originem duxisse visa est. Gregorius enim lib. 4 decretal. tit. XX. de Donationibus inter Virum ex Uxorem cap. 4. inter cætera eodem spectantia Clementis 3. constitutionem authoritate consignavit. *si* inquit, *Mulier ob causam fornicationis*, (adulterium intelligit) *judicio Ecclesiæ, aut propriâ Voluntate à Viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, Dotem vel Dotalitium repetere non licebit.* Sed præter hanc dotis amissionem Pœna ordinaria Adulterii ex jure Canonico alia est: in Laico scil. Excommunicatio in Clerico depositio, in utroque certæ pœnitentiæ (Laicus scil. pœnitere debet septem annis, clericus decem) impositio: vide Instit. Juris Can à Lanceloto edit: lib. 4. tit. 8. v. 1, & Notationes Bartholini in locum. Imo regulare esse observat Lyndewodus quod *pro quolibet peccato mortali debeatur septennis pœnitentia, nisi dignitas delinquentis vel qualitas delicti aliud suadeat* cujus rei hæc à quodam reddebatur ratio. *Quia*

sicut

ſicut per peccatum ſeptiformem gratiam amiſit, ita per ſeptiennem pœnitentiam recuperare debeat, In ætate autem Lyndwodi omnia iſta erant in arbitrio ſacerdotis Tit. de purgatione can. c. item licet, in verbum *adulterio* Provincialis Lyndw.

Excommunicationis autem ſententia ex jure canonico ab Eccleſiaſtico judice infertur & pronuntiatur, qui ſive ordinarius ſit ſive delegatus nihil intereſt, ſemper tamen regulariter eſt Presbyter *c. Canonica de ſent. excomm.* Non enim excommunicat Laicus. *c. ſubdiaconus §. poſt tamen, verſ. vel Catholico. 24. qu. c. fin. de immunitat. Eccleſ. in 6. cap. quanto amplius.* Imo neque Laicus ex delegatione Epiſcopi tantum præſtare valet *Gloſſ ad. c. bene quidem, ad verbum, Laico & ib. ad verbum, præter Romanam.* Idem etiam ſemper ex conſtitutionibus Eccleſiaſticis in reformata Angliæ Eccleſiâ obtinuit jus; Quique contrarium aſſerunt & frequentes querelas faciunt ſubditos Regis per Cancellarios, Commiſſarios Officialeſque (Viros ut plurimum Laicos) excommunicari, Invidiam ſuam in Diſciplinam Eccleſiaſticam, atque ejuſdem Ignorantiam ſimul oſtendunt. Cum enim duabus ex cauſis ſententia Excommunicationis pronuntiari ſolebat, vel in notorii alicujus delicti pœnam immediatam; vel propter inobedientiam & contumaciam adverſus Juriſdictionem Eccleſiaſticam: in Utroque caſu ſaltem Presbyter eſt qui Excommunicationis ſententiam regulariter denuntiat. Ita in Articulis per Archiepiſcopum Epiſcopos & reliquum clerum Cantuarienſis Provinciæ in ſynodo 24 die Novembris 1584 & Regia autoritate confirmatis, *Tit. de Exceſſibus circa Excommunicationem coercendis*, cautum eſt (Verbis ipſius Canonis utar) *ut quotieſcunque hæc* Excommunicationis *Cenſura in immediatam pœnam cujuſvis notoriæ Hæreſeos,*

Digreſſio de excommunicatione: in qua Diſciplina Eccleſiæ Ang. à malevolorum calumnis defenditur.

reseos, Schismatis, Simoniæ, Perjurii, Usuræ, Incestus Adulterii seu gravioris alicujus criminis fuerit infligenda; Sententia ipsa vel per Archiepiscopum, Episcopum Decanum, Archidiaconum vel Prabendarium (modo sacris Ordinibus & Ecclesiastica jurisdictione præditus fuerit) in propria persona pronuntiabitur, una cum ejusmodi frequentia & assistentia quæ ad majorem rei autoritatem conciliandam conducere videbitur. Denique quod unusquisque Vicarius generalis, Officialis seu Commissarius qui Ordines Ecclesiasticos non susceperit, eruditum aliquem Presbyterum sibi accerset & associabit; qui sufficienti autoritate vel ab Episcopo in Jurisdictione sua, vel ab Archidiacono (Presbytero existente) in jurisdictione sua, munitus, idque ex præscripto ipsius judicis tum præsentis, Excommunicationis sententiam, pro Contumacia, denuntiabit. Atque eadem constitutio, verbatim repetita, confirmata est in Synodo Londini inchoatâ Octob. die 25. 1597. Regni Reginæ Eliz. 39. additâ iterum Regiâ sub magno sigillo autoritate. Et ex antiquiori Canone, 1571. cautum est quod *Cancellarii, Commissarii & Officiales Excommunicationis sententiam deferent tantum ad Episcopum: eamque aut Ipse per se pronuntiabit, aut gravi alicui viro in sacro ministerio constituto pronuntiandam committet.* Lib. quorundam Canon. Tit. Cancellarii, Commissarii, Officiales.

Ad censuram autem ecclesiasticam, de Dotis Propter adulterium amissione, stabiliendam, jus terræ & Regni statuta interveniunt & Canonicæ astipulantur sententiæ. Cokus in Littletonum lib. 1. cap. 5. sect. 36. in verba *Ascuns temps durans le coverture. Si Uxor* inquit *elopaverit, id est à Marito abscedat & cum Adultero commoretur, Dotem suam perdet; nisi Maritus absque omni coercitione Ecclesiastica ei reconcilietur & secum cohibitare permittat: Quod in duobus hisce Hexametris brevi comprehenditur.*

Sponte

Sponte virum mulier fugiens, & adultera facta
Dote ſua careat, niſi ſponſi ſponte retracta.

Et ſi volens mulier adultero accedat, quamvis cum illo perpetuo non commoretur, elopatio fit, & diſceſſio à viro ſuo & commoratio apud alienũ juris ſenſu illud intelligitur. Imo etiamſi invita apud adulterum permanſerit, aut adulter illam dimiſerit, aut etiamſi ex cenſura Eccleſiaſtica cum viro ſuo cohabitare cogatur, Omnibus hiſce caſibus dote ſua omnino privabitur. v. Statutum de Weſtminſter 2. cap. 34. anno 13. Edwardi. 1. Lib. Intr. 224. Fleta. Lib. 5. cap. 22. Br. cap. 109. Fitz. H. N. B. 105. h.

Art. 3. *De ratione pœnarum, & prohibiti Adulterii.*

Jam ad cauſas interdicti per tot gentes, tam ſeveris pœnis, Adulterii examinandas devenimus: quæ quam graves ſint, ex æquâ obligationum naturalium æſtimatione modo perpendamus.

§ 1. Fundamentum Juſtitiæ Fidem dicit Cicero, Offi. 1. Sanctiſſimum humani pectoris bonum, Seneca. Et Doctores communiter principalem hanc eſſe Naturæ legem. Sane ſiqua fides eſt ſanctiſſima, ea eſt, quæ Conjugali nexu maritatis intercedit: ea eſt, quæ ſanctiſſimis utrinque ſtipulationibus coram Deo, Eccleſiâ, populo confirmatur. Vitæ autem conſuetudinem in noſtrâ ubique Europâ individuum paciſcuntur Conjuges; Hoc enim eſt Nuptias contrahere: Cum Nuptiæ communiter perinde atque apud Jureconſultos ſignificent eam, Maris & Fœminæ, conjunctionem quæ individuam Vitæ ſocietatem continet. Vide Gregor. Tholoſan. Syntagm. Juris lib. 9. cap. 2. n 1. ubi Propertii illud citat.

Prima ratio ex Fide læſa.

Exemplo juncta tibi ſunt in amore Columbæ;
Maſculus & totum femina Conjugium.

Et Modeſtinus de Ritu Nupt. 23. 2. l. 1. *Nuptiæ* inquit *ſunt conjunctio Maris & Fœminæ, & conſortium omnis vitæ.* Diſtinguunt igitur rectè Matrimonium à ſolubili & aliis communicabili contubernio. Illud denique Apoſtoli ad Epheſios non invenuſte explicant ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν ubi implicare videtur Oraculi νοῦν eum qui individuũ Matrimonii nexum diſtrahit non minus abſurde agere quàm ſi quis carnis ſuæ continuitatem diſſolvere anniteretur.

Hoc vero ſecundum Tertullianum eſt Adulterium, cum ſcilicet quoquo modo diſjunctis duobus alia caro, id eſt aliena, miſcetur. *De Monogamia L.* 1. Hinc igitur eſto primum in Adulterio iniquitatis σῆμα, quod ſanctiſſima Conjugii fœdera divino & humano jure confirmata turpiſſimè violentur, & proinde ea ſuſque deque verſa ſit hæc præcipua, Naturæ de fide ſervanda, Lex in qua tanquam baſi ſuâ magnâ ex parte Juſtitia firmatur: Adeo ut pœna proinde inſequi debeat, quâ digni ſunt qui Legum-latricis Naturæ vili æſtimant placita & ſacras deſpicatui habent ſanctiones.

Secunda ex damno inde innocentibus illata.

§ 2. Sed ut jam Adulterii meritum ulterius & quid humani generis re integra intererat juſtiſſima nec populari libra trutinemus, largiri nobis poſtulamus quod *in Hypotheſi Ethica capite* 3. concluſimus. Commune ſcil. Naturæ placitum eſſe, propter communem pacem & amicitiam à Deo hominibus inſitum, ne Innocentes lædantur: Seu, ut ſtylo Ciceronis utar, Naturæ Rationem exigere, quæ eſt lex divina & humana, Ne quis alteri noceat ſui commodi cauſa: quod qui nondum didicit in ipſis Humanitatis rudimentis nondum eſt initiatus.

Secundò ex eadem Hypotheſi, *cap.* 1. *num.* 7. ſupponimus, Deum nihil fruſtra, adeoque neque Notionem iſtam, de *Innocentia ad innocentes extendenda* ſine

sine finis intuitu fecisse. Et si non frustra fecit hanc vivendi Normam, Finem normæ obtinere eam voluit & decrevit. Id enim vult Deus, nisi Normam fecit & noluit tamen ut pro Normâ esset. Sed Deum hanc in nobis morum Regulam posuisse ex Hypothesi postulamus, quemadmodum Nares ad odorandum, aures ad audiendum fecit.

Supponimus tertio ex eadem Hypothesi, *cap.* 15. Damnum ex Violato Naturæ placito reparari debere, æquumque esse ut ii qui injuriâ alios impetebant plene refarcirent damna ab ipsorum profluxa nequitiis; Qui si nolint sponte, saltem æquum est ut inviti satisfacere cogerentur.

Quibus concessis exinde disquirendum est, An revera dolor aliquis & noxa, & qualis ea sit quæ innocenti cuiquam possit & plerunque solet ex hoc flagitio provenire.

Imprimis autem certissimũ est ex hoc Vitio Conjugi, innocenti Conjugi, Cõjugi cui flagrantissimus debetur amoris affectus, maximũ qui dici potest dolorẽ inferri: Ea autẽ ægritudo Zelotypia dicitur; cum timet quis ne adsit alteri, quod velit cum nemine habere commune. Atque hæc passio quos animi motus, tumultus, perturbationes infert haud facile dictu est. Zelus enim hic cor cui insedit inprimis depascit, ita ut persona læsa non ἀναισθήτως non sine quadam, cujus vim capere Cælibes, aut saltem describere nequeunt, καρδιαλγία in Ultionem fertur: Quæ qualis sit infra uberiùs dicetur. Typus autem doloris cor ex Zelotypia intimum exurentis ex Appuleio peti potest. Qui autor est *lib.* 8. *Metamorph.* Uxorem cujuspiam Villici dolore pellicatus instigatam, cunctas Mariti rationes & quicquid horreo conditum tenebatur admoto igne combussisse; sed tali damno Tori sui contumeliam vindicasse non

con-

contenta, jam circa Viscera sua sæviens, laqueum sibi innectit, infantulumque quem de eodem marito jamdudum susceperat eodem funiculo nectit seque in altissimum puteum, appendentem parvulum trahens, quasi insaniæ æstro percita præcipitabat.

Causas doloris non necesse est anxie scrutemur aut earum dignitatem, cum his nequitiis constet conjugii consortes admodum vexari: Sed certe justissima est, si qua est circa res quascunque mundanas doloris causa, quod in eo sint positi statu in quo nihil in vita communi jucunde, nihil agere fidenter valent. Quomodo possit (Mariti ut in eo imprimis instem) non exulcerari mens, cum maximè in illud (natura duce) propendeat, ut eos qui proprio sanguine sunt prognati, divites, honorabiles, literatos (in summa) felices efficiat. Atque interea is sit rei familiaris status ut nihil apud eum constare de prole sua possit, utpote qui nactum se ejusmodi Vxorem novit, cui Fœdera conjugii temerasse, prolemque adulterinam suppossuisse nulla unquam fuit religio. Vt ille in omnibus vitæ actionibus distrahitur, dum hujusmodi eum lacessunt & divexant cogitationes, se laborem omnem & industriam eo impendere ut hæreditatibus satis amplis donentur, qui ex peregrino & ignoto sanguine ipsi sunt obtrusi, utque spuriam nefandi coitus progeniem locupletet.

Nec dissimili modo Vxores non nisi cum summo mentis cruciatu vitas agunt, cum providas se matres-familias Apibus comparare soleant, quæ de melle conficiendo sollicitæ, non sibi aut à se natis, sed aliis operam impendunt: Dum conqueruntur se tanquam claudas sutrices domi sedere totos dies ut opes corradant adaugeantque rem familiarem in spurios & meretrices prodigendam.

In

In perturbatione etiam augenda non minimum inde est momentum quod existimant tam Viri quàm Fœminæ sibi in tantum minui (nam neque hæ sine æstimio sunt) etiam conjugales in Venere voluptates, in quantum pars eam aliqua cum extraneo communicatur.

De damno quod proli conjugis innocentis inde cõtingit.

Deinde non solum conjugi innocenti, sed omni innocentis conjugis proli ex adulterio contingit detrimentum, si ex coitu illicito concipiat adultera: & si non concipiat, id ex scelere aut casu, non ex instituto, fit. Atque hæc est secunda illa læsio cujus meminit Aquinas 2.2. q. 154. art. 7. Concl. qua *qui accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, impedit*, ut illius verbis utar, *bonum prolis alienæ*. Amor enim, perinde atque res familiaris, quo in plures partes dispergitur, eo minus ad singulos descendere est necesse: Quique prolem dotat alienam minus certe quo propriam ipsius prolem dotet, possidebit.

Ex neglectis in suam ipsius prolem sequitur.

§ 2. Quod sit respectu prolis nascendæ Adulterii meritum ut melius videatur tria itidem ex Hypothesi postulabimus nobis concedi. Inprimis communem esse sensum obligationis ad promovendam quantum in nobis est, prolis felicitatem, Juxta Catonis illud apud Ciceronem *de Fin.* 3. Vt perspicuum est naturâ nos à dolore abhorrere; sic apparet à natura ipsa nos impelli, ut quos genuerimus, amemus. *Hypotheseos cap.* 7.

2. Postulamus *ex Hypothes. cap.* 1. *n.* 7. largiri, Notionem istam communem *de naturali ad prolis curam obligatione* non frustra fecisse Naturæ conditorem, sed ut ad eam tanquam amussim, cum ex naturâ sua ceu Amussis sit, suus quisque, cui is innatus est sensus, actiones accommodaret. Quæ sane de σωγαῖς Anticipatio tanti est momenti ut continua speciei humanæ conservatio inde videatur dependere.

3. Si

3. Si secus à quopiam fiat, Eum oportere per quem stetit quo minus debite curetur, foveatur, educetur proles, damna ex delicto nata plenè resarcire. *Hypoth. Cap.* 15.

Quibus positis videndum deinceps est quomodo cum Tutelâ, & Beatitudine nascendæ prolis illud in parente delictum possit consistere. Imprimis enim manifestum videtur quod non solum debita privari Curâ fætus nascendus ex Adulterio possit, sed & noxam etiam fætui illi facile posse contingere. Quot enim Casus sunt in quibus deprehendi possit partum esse substitutum, aut saltem in quibus isthoc conjectari nefas valeat, tot in Casibus imminet ipsi vitæ, & sæculari proinde beatitudini infantis periculum. Deprehendi autem scelus posse improbabile non est, veluti si peregre profectus sit maritus, aut si valetudinarius fuerit, aut aliâ quacunque ratione impeditus à benevolentiâ conjugali abstinuerit, eo tempore quo generari prolem secundum naturam erat necesse. Et tandem conjectura de partu fieri solet ex formâ & partium organicarum conformatione & symmetriâ. Cum igitur qui hanc turpitudinem admiserunt timeant ne in scelere deprehendantur, non levi à tranquillitatis domesticæ & sui conservationis studio argumento impelluntur, ut in ipso utero facientes Carnificinam, se Lupas potius quam Matres exhibeant.

Sin à tantâ abstineant nequitiâ posito quod reputatus Pater de eo dubitet saltem, & conjecturam faciat legitimum non esse partum; evenit is Casus quem supponit Aquinas *Parente scil. masculo* (qui certe ad congruam educationem requiritur) *prolem destitui.* Nemo est enim qui Patrem se scienter in supposititium partum est gessurus, nemo spurium naturali parentum fovebit στοργῇ. Vagum autem omnem adulterii Reum

nec

nec partus curam habere, supponit maximus ille Scholasticorum Pater: *Adulter*, inquit, *delinquit contra humanæ generationis bonum in quantum accedit ad mulierem, non sibi Matrimonio copulatam; quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ*: Thesis autem hæc quod Accessio ad mulierem sibi Matrimonio non copulatam educandæ prolis bonum impediat, confirmari possit ex dissertatione ipsius Aquinatis circa Fornicationem infra citatâ, *Cap. 3. de Fornicatione, Art. de Merito Fornicationis. Num.* 1.

§. 4. Aliud etiam ex Naturali φιλαυτίᾳ caput est, ex quo de Adulterio fieri possit Judicium, Quamvis enim non opus est ut metu eo cogamur quo nos Affectuum vis maximo propellit impetu, non tamen magis quam cæteras Notiones frustra Natura nobis penitissime nostri Amorem insevit: Sique luctuosa sit Malorum Charybdis in quam temerarii Voluptatum sectatores facile se, præ inanimadvertentia, inopinatim præcipitare possint, Illa profectò Lex egregiam meretur Laudem, & Divinam Legem eo imitatur quod Viam præmuniat ne miseri homunciones tam desperato absorbeantur infelicitatis Vortice. Magnam autem Viro qui in Adulterio sibi indulget necessario, ipsius flagitii ratione, obvenire malorum Vim abundè ex quotidianâ peccantium experientiâ comprobatum fit.

Ex noxa ipsi Adultero propter familiæ inquietudinem & conjugis Zelotypiam provenienti.

Nulla enim tam severa est Ultio quam non hâc ex parte læsæ, summo furiarum æstu, prosequuntur. Etiam mulieres alias meticulosæ nihil non audent tam nefandâ conjugalis fœderis violatione provocatæ. Nota sunt illa ex Euripidis Medeâ.

——Γυνὴ γὰρ τ' ἄλλα μὲν φόβου πλέα,
Κακὴ δ' ἐς ἀλκὴν καὶ σίδηρον ἐνσορᾶν,
Ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικουμένη κυρῇ
Οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα.

Notiora autem quæ ad hæc allusivè scripsit, in suâ etiam Medeâ, Seneca:

Nulla vis flammæ tumidive Venti
Tanta nec teli metuenda torti,
Quanta cum conjux viduata tedis
Ardet & odit, &c. ib.

Certè in affectus seu perturbationis hujus descriptione luxuriari aliquantum mihi videntur Poetæ. Idem *Seneca* in Herc. Oeteo.

O quam cruentus fœminas stimulat dolor!
Cum patuit una pellici & nuptæ domus,
Scylla & Charybdis Sicula contorquens freta
Minus est timenda, nulla non melior fera est.

Et Ovidius 2. de Art.

Sed neq; fulvus Aper medià tam sævus in irâ est,
Fulmineve rapidi dum rotat ore Canes,
Nec Lea cum catulis lactantibus ubera præbet,
Nec brevis ignaro vipera læsa pede:
Fœmina quàm socii deprensa pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet,
Inferrum flammasq; rnit; positoq; decore
Fertur ut Actæi cornibus icta Dei.

Dixit experientissimus Rex & sapientiæ Mysta Prov. 11. 29. Eum qui suam inquietat familiam Ventum pro hæreditate possessurum: certe qui per Adulteria inquietat, & Zeloqypias concitat non cum vento solum, sed continuo turbine & tempestate ætatem aget, nisi etiam mortem ipsam acceleret. Scribit enim Cicero, *Lib.* 2 *off.* Alexandrum Pheræum à Thebe uxore interfectum propter pellicatus suspicionem: & Justinus, *Lib.* 26. narrat Demetrium Antonii regis filium jussu Arsinoes uxoris interemptum quod cum Berenice socru stupri consuetudinem haberet. Alter

De-

Demetrius cognomento Nicanor à Cleopatra uxore occiſus eſt, ob Zelum Rhodogynæ Phraatis regis ſororis: *ut tradit Appianus in Syriaco.* Clytemneſtra audiens Agamemnonem maritum deperire Chryſeidem & ſe Adulterio cum Ægyſto polluit & maritum ipſum morte multavit. Sed inſtar multorum eſt quod ſcribit Apollonius Rhodius, *lib. Argonautico*, Lemnias mulieres Zelotypia incenſas quod Mariti captivas quaſdam fæminas adamarent, maritos ſuos omnes, & præterea Univerſum genus Maſculum obtruncaſſe. Scribit Pauſanias, *Lib.* 3. *quo Laconica tractat*, quod cum Helena poſt mortem Menelai à Megapenthe & Nicoſtrato filiis Oreſtis fugata in Rhodum perveniſſet, eam Polyxena uxor Tlepolemi arbori juſsit ſuſpendi ob viri Zelotypiam, hinc Helenes Δενδρίνος apud Rhodios ſacellum. Theſſaliæ mulieres Laidem formoſam meretriculam in templo Veneris lineis teſtudinibus ob Zelotypiam trucidarunt. Hæc & plura habet Exempla Tiraquellus. *in* 3 *Leg. Connubial glz. primæ part.* 13. *num.* 28, 29. quæ ipſa etiam, ab eo ni fallor mutuata, citat Cornelius à Lapide in Prov. 6. 26. & Delrio in Senecæ Medeam.

At certe Noxa quæ fædiſsimi criminis autori ſolet accidere nemini erat notior quam, Regi illi & Regum per Dei donum & immenſum rerum Naturæ ſtudium ſapientiſsimo, cujus ſapientiæ magna pars in eo erat poſita quod exploratiſsimos habuit hominum Mores, & morum diverſorum diverſas Conſequentias Fructus & Effecta. Is *Prov.* 6. ad finem capitis, *Propter mulierem*, inquit, *meretricem devenitur uſque ad fruſtulum panis. An abſcondere quis poſſet ignem in ſinu ſuo ut veſtimenta illius non ardeant? An ambulare ſuper prunas ut non comburantur pedes ejus? Ita eſt qui congreditur cum Uxore proximi ſui: non habebitur in-*

noxius quiſquis tetigerit eam. Non magno afficitur contemptu fur (vel ut Paraphraſis Chaldaica, LXX Interp: & Verſiones Syriaca & Arabica, *non eſt quod miremur furem*, ut verſio vulgata *non grandis eſt culpa*) *cum furatus fuerit, ut ſatiet animam ſuam cum eſurierit. Quippe deprehenſus reddet ſeptuplum, ex omni* (quacunque) *ſubſtantiâ domus ſuæ rependet: Adulterans autem mulierem mente captus eſt* (atque ut verſio habet Arabica *ob exiguitatem judicii ſui aſtruit animæ exitium* ſed ad verbum) *qui perdere ſeipſum volet, ipſe iſthoc faciat. Plagam & ignominiam conſequetur. Probrumque ejus non delebitur. Quippe æſtus Viri Zelotypia eſt* (cujus modo in mulieribus juſte provocatis deſcripſimus effecta) *non parcet in die Vindictæ: non propitius fiet omni oblata propitiatione,* ut Arabica & Græca verſio, *Non ullo genere commutationum commutabit inimicitiam, nec contentus erit quamvis multiplicaveris placamina.* Atque ex hoc loco Theologi ſolent arguere tantam eſſe in Adulterio injuriam, ut pro illa nulla poſſit dari ſatisfactio, nulla plena reſtitutio, nulla damni reparatio poſſit fieri. Quod enim dixit rex, *v.* 30. & ſeq. *Non afficiturc contemptu fur. Quippe ex qualibet ſubſtantia Domus ſua rependet ſepties, Maritus autem adulteræ non habet rationem redemptionis,* ſic interpretatur Cornelius à Lapide. *Fur damnum quod Domino intulit abunde reſarcit. Adulter autem non poteſt reſtituere marito Injuriam & Noxam, quam illi, Uxorem ejus violando, intulit. Ergo Adulterium gravius eſt & nocentius furto, cum hujus damnum reparabile illius irreparabile nec niſi ſanguine Adulteri expiabile ſit.*

Summarium rationum. Summa eſt (ut fuſius dicta jam in Unum contraham) Leges contra Adulteria latas optimo fine eſſe

esse constitutas: Opus enim erat ut in vitia proclives pœnarum severitate ab istiusmodi scelere deterrerentur, Quo imprimis sanctissima, coram summo Deo pacta, conjugalis fides turpissime violatur; Innocenti dein & sibi devinctissimo conjugi angor mentis intolerandus & gravissima infertur noxa; quo Pax familiarum, Voluptas & amicitia conjugiis requisita prorsus tollitur; Quo spuria alterius proles alteri supponitur, & in hæreditatem vel dotem aliis debitam, propter furtivum Concubitum plerúmque succedit; Quo nata per scelus proles in Vitæ ducitur sæpius discrimen; Quo denique omnis admittentis scelus vita conturbata & inquieta fit; adeo ut neque domi suæ neque foris tranquillitate uti aut in tuto esse possit. Quas fere Adulterii Ἀνομίας simili compendio sapiens conclusit Siracides, Γυνὴ καταλιποῦσα τὸν ἄνδρα, καὶ παριστῶσα κληρονόμον ἐξ ἀλλοτρίου, πρῶτον μὲν ἐν νόμῳ ὑψίστου ἠπείθησε, καὶ δεύτερον εἰς ἄνδρα ἑαυτῆς ἐπεπλημμέλησε, καὶ τὸ τρίτον ἐν πορνείᾳ ἐμοιχεύθη; ἐξ ἀλλοτρίου ἀνδρὸς τέκνα παρέστησε. *Mulier quæ Virum suum relinquens, supponit ei hæredem ab extraneo; Imprimis contra legem Altissimi* (& reverentiam ei debitam) *secundo contra Tori conjugem peccavit, tertio* (unde Hydra malorum per omnem vitam conjugio irrepit) *illegitima coitione turpiter mœchata ab extraneo filios Marito suo supposuit.* Quæ habet Siracides, *cap.* 23. *v.* 23. quas mali circumstantias ex hoc delicto promanantes quisquis justa trutina libraverit, inveniet profecto non sine causa Imperatorem secundum, post Majestatis crimen, Adulterii Judicium instituisse, *Inst: de Publ: Judiciis*, §. 8. *Item lex Julia.*

CAP. II.

De Polygamia & Concubinatu.

Art. 1. *De Polygamiæ & Concubinatus definitionibus & quod antiquitus Pellex idem significabat quod modo Concubina.*

POlygamia committitur, quoties persona alii conjugio copulata aliam nihilominus personam, eodem tempore (neque enim jam de Digamia, quæ diverso tempore contrahitur & Clerum ex Jure canonico potissimum respicit, disserimus) sibi in conjugium adsciscit. Hic autem contractus Populo Romano erat minus usitatus, quibus in ejus locum Concubinatus successit.

Concubinatus ex temporum Historiis duas accepimus species: Famosior, & qui vulgo simpliciter Concubinatus dicitur, est contractus delictum inferens Adulterio, ob natas inde noxas & incommoda, maxime affine. Hujus meminit A. Gellius, Noct: 4 c. 3. ubi tradit *Pellicem* (stylo recentiori Concubinam dixisset) *appellatā probrosamque habitam quæ Vincta consuetáque cum eo esset, in cujus Manu Mancipióque alia Matrimonii causa foret: quod antiquissima lege ostenditur, quam Numæ Regis fuisse accepimus.* [Pellex Ædem Junonis ne tangito; si tangit, Junoni crinibus dimissis agnam Fœminam cœdito.] His enim Verbis improbatum dicunt critici legum Do-

cto ses

ctores Concubinatum cum eo qui Uxorem habuit. *Maſſurius ſcribit Pellicem apud antiquos eam habitam quæ cum Uxor non eſſet, cum aliquo tamen vivebat, quam nunc paulo honeſtiori nomine amicam appellant. Gravius Flactus, in libro de Jure Papyriano, ſcribit Pellicem nunc vulgo vocari, quæ cum eo cui Uxor ſit corpus miſceat: Quoſdam eam quæ Uxoris loco ſive Nuptiis in Domo ſit, quam Παλλακὴν Græci vocant.* ff. de verb: Sign: l. 144. Promiſcue igitur pro Concubina pellex, pro Concubinatu Pellicatus ſumitur, ut plurimum pro famoſiori cum Vxorato, aliquando pro alio Concubinatus genere utplurimum à Romanis permiſſo quem nondum Vxoratus contrahit (qualem infra deſcribimus) Vocabulum iſthoc accipiebatur.

Art. 2. *Legum cautela circa Polygamiam & Concubinatum, ne admitterentur & propter hæc admiſſa Cenſura.*

Polygamiam per omnia retro ſecula, etiam ab ipſa Vrbe condita, ſub Imperio Romano aut inaudita res erat, aut legibus damnata. Huic Impp. Diocletianus & Maximus, l. 2. Cod. de Inceſtis & inutilibus Nuptiis. *Neminem qui ſub Ditione ſit Romani nominis binas Uxores habere poſſe, vulgo patet: cum etiam in Edicto Prætoris hujuſmodi Viri infamia notati ſint.* Et Juſtinianus rem impoſsibilem eſſe reſcribit, ut quis legitimæ Vxori conjunctus alias ei, conſiſtente Matrimonio, ſuperinducat, *Novell.* 18. *cap.* 5.

Ex Imperii hujuſce Britanici ſtatutis pro felone habetur & capite pletti debet qui Vivente uxore, eâq; cenſura Eccleſiaſticâ nondum repudiatâ, aliam ſibi duxerit, niſi profuga Vxor ſit, quæ nec ad Maritum intra ſeptennium redierit, nec infra idem tempus de

Vitâ ſuâ maritum datis ad eum literis certiorem fecerit. v. Stat. Anno 1 *Jac.* cap. 11.

Concubinæ quamvis inter Romanos ſemper habitæ ſunt infames, varie tamen in variis Imperii ſæculis circa Concubinatum Jura providerunt. Nulla ita corrupta moribus Ætas erat, qua ſecundum Leges non poterat ſibi Matrona cavere ne Maritus cum Concubina conſuetudinem haberet, aut eam conſuetudinis cauſa aleret. Antequam enim Leges (ſi quod unquam tale tempus extitit) Concubinatum diſtrictè damnarent, Legitimæ Vxores ſive Matronæ hoc ritu ſecundum jura ſibi cavebant. Ante Nuptias ſcilicitas ſtipulatio à Marito exigebatur ne is Concubinâ poſt nuptias uteretur; idque ex Nuptæ contrahentis placito quæ ſecus in Matrimonium non conſentiret. Caſus extat in Gloſſa, ad l. 121. ff. de Verborum Obligat: *Titius habebat Concubinam quandam, Berta volens nubere Titio, timebat ne aliquando iterum reverteretur ad Concubinam: Ideo ſtipulata eſt ab eo centum Aureos, ſi tempore Matrimonii reſumeret Concubinam ſuam. Quæritur utrum hæc ſtipulatio ſit licita? Reſp: Quod ſic: eſt enim ſecundum bonos mores.* Textus eſt. *Mulier ab eo in cujus Matrimonium* (vel *Manum*, diverſa enim hic Lectio, idem ſenſus) *conveniebat ſtipulata fuerat duceuta* (pœnæ ſcil: nomine) *ſi Concubina, tempore Matrimonii, conſuetudinem repetiiſſet. Nihil cauſæ eſſe reſpondit Papinianus cur ex ſtipulatione quæ ex bonis Moribus concepta fuerat, Mulier impleta conditione pecuniam aſſequi non poſſit*, §. 2. l. eadem, ff. eodem, addit Gloſſa, *à Marito quia conſuetudinem repetiiſſet.* Hoc autem animadverſione digniſsimum videtur quod Vnica hæc Vetuſtiſsimi Juris ſanctio cavit ſaltem, ſi non ut omnis prorſus à repub: tolleretur Concubinatus, ut ſponſæ omnes

Ad tollendã concubinatũ ſtipulationis cautelã à legibus introducta, cũ Vitium hoc aliàs legum ſeveritate minus coerceretur.

ejus

ejus incommodis immunes essent quæ laudabili Mariti ante Nuptias stipulatione, ne is tempore Matrimonii consuetudinem cum Concubina haberet, sibi ipsis providerent.

Quidam etiam è Jureperitis sunt qui antequam Imperatores Christiani in Imperium erant evecti Jus Romanum Concubinatum sustuliſſe ajunt: ita Gothofredus in notis ad l. modo citatam & l. finalem §. fin. de Divortiis. Vbi dicit Ulpianus ex Imperatoris rescripto Maritum qui Concubinam sibi adhibuerit credendum esse Nolle pristinam nuptam Vxoris diutius loco habere sed magis videri ut diremptum sit Matrimonium. Vtcunque autem sit, certissimum est etiam antiquissimo jure per stipulationis cautelam leges rationem exterminandi Concubinatus adinveniſſe: & in sequiori sæculo postquam ad Principes Christianos delatum est Imperium generaliter erat prohibitus, vide Constitutionem singularem Constantini Cod. *De Concubinis*, adeo ut (in omni Imperii Romani sæculo) si non simpliciori, isto saltem quem modo notavi, sensu verum sit quod rescribit Imp: Justinianus Cod. communia de Manumissionibus, l: fin: vers: finali, *Hominibus Vxores habentibus Concubinas vel Ancillas vel Libertas habere nec antiqua Jura nec nostra concedunt.*

Art: 3. *De Ratione prohibiti Concubinatus & Polygamiæ.*

Et Concubinatus & Polygamia plures in ejusdem lecti aut conjugalis aut quasi conjugalis societatem admitti supponit: quod fieri non posse absque ingenti & Mariti ipsius & Vxoris incommodo supra, in capite de Adulterio, abunde disseruimus. Vetus enim

est

est & verissimum Proverbium — *Nec Regna socium ferre, nec tædæ scinnt.* Zelus enim seu Zelotypia ex admissa lecti societate profecta, præter cætera fere Adulterii incommoda, Vxori legitimæ gravissimum dolorem, Marito illam admittenti perpetuas molestias & inquietudines, Proli à diverso ventre natæ inter se odia, discordias & duella, plerumque sane si non perpetuo, concitat. Verissime enim dici possit raram esse hujusmodi fratrum concordiam: quæ enim in Matre imprimis gliscebat ad prolem certissime derivatur excandescentia, ira, seditio. Confirmationem hujus rei ex superiori capite repetere, retoquere Cramben esset: illic igitur qui volet requirat. Sane Zelotypia Vxorum in Concubinas haudquaquam unquam minor extitit, plerunque major, quam in famosissimas meretrices. Et ratio est, quod in Concubinatu & Polygamia quasi legitimum contubernium est cum Pellice & contractûs conjugalis quædam imitatio; quæ speciem Justitiæ frequentiori & continuato Adulterio conciliat. Quicquid igitur Capite superiori de Odio Mulierum in Pellices, *Artic.* 3. §. 2. & 4. disserui ad Concubinas justissime extenditur; cum ex notissima interpretatione Concubina & Pellex (ut modo ostendi) idem vulgatiter significent. Et revera, legitimæ saltem Vxoris respectu, Concubinatus omnia habet perpetui Adulterii incommoda, Hoc autem ipsum in Divino *Mosaicæ* legis edicto manifeste innuitur, Lev. 18. 18. ubi summus rescripsit legis lator, *Mulierem unam ad alteram ne assumito angustia affecturus hanc, retegendo turpitudinem illius ductæ super hanc, in vita ipsius*: atq; etiam inde confirmari possit quod sponsæ jure Romano stipulationem (ut modo explicavi) exigebant, ut ab usu Concubinarum Maritos arcerent. Neq; *Racheli & Leæ* bene de

Ma-

Marito communi conveniebat; quamvis ad fundanda tribuum capita forsan Polygamiæ Jacobo licentia ex divina dispensatione est concessa. Deus igitur pacis & dilectionis qui melius cognovit quid nostrum interest, quid ad pacis & felicitatis ubertatem conducit, quam Nos ipsi, qui affectibus magis obsequimur quam ut Vera bona possimus dignoscere, ita constituit ut duo tantum, Vnus Mas, Vna Fœmina, uno coirent conjugii Nexu, *Gen.* 2. 24. *Matt.* 19. 5. Atque hoc quidem, cum ex constitutâ humanæ Naturæ fabrica, propter naturalem carnis concupiscentiam pœne necessarium sit, ne qua illicita coalesceret Venus, permisit Apostolus, *ut quisque suam haberet uxorem, & quæque suum virum*, 1 Cor. 7. 2. quibus locis illud Prophetæ *Malachiæ* superaddi possit, quod (si bene memini) à Marlorato in Thesauro scripturæ in hunc sensum redditur, *Maritata marito socia est & Vxor fœderis illius. Nonne unam imprimis fecit Deus?* Evam scil: Adamo sponsam necessariam qui poterat plures fecisse. *Ejus enim erat spiritus residuum* quem poterat aliis insufflasse. *Et quare Vnam fecit? Ut scil divinum acquireret semen. Quisque ergo fervorem spiritus sui custodiat, & ne quis Vxorem adolescentiæ suæ despiciat*, Malach. 2. 15.

Concludam autem Articulum hunc doctissimi nostri *Gothofredi* commendatâ Vobis circa Polygamiam dissertatiuncula: *In rebus*, inquit, *controversis ad initia recurrendum*, Matt. 19. v. 8. *ab initio non permissam, non honestam habitam esse Polygamiam constat evidentissime. Nota enim sint hæc* erunt duo in carne Vnâ, Gen. 2. v. 24. Matt. 9. v. 5. Luc. 16. Novel: Leonis 30. in fin: suam quisque Vxorem, & proprium quæque virum habeat, 1 Cor. 7. v. 2. *Quin & si Naturæ rationem quærimus, ipsa Generatio non perficitur*

ficitur niſi ex duobus: ſi amorem conjugalem, ſolidus inter duos tantum eſſe poteſt: Nec ſic erit individua Vitæ conjunctio ſi utrique pluribus adhærere permiſſum ſit. Adhæc ſi ſpectabimus quid homo per ſe poteſt, Unus pluribus non ita poſſit ſufficere: ſi æquitatem, plures Mariti Uxori permittendi eſſent: ſi liberorum & familiarum certitudinem, ſi Parentibus honorem debitum, tollendus maritorum & Uxorum numerus: ſi Juriſprudentes & eos quidem Ethnicos in conſilium adhibueris Polygamiam non probabunt, l. 1. in fin: ff. de his qui notant; *ſi Imperatores iiſdem Polygamiam vetuerunt* ut Cod: de Judæis, l. 7. & l. 2. Cod: de Inceſtu, l. 18. Cod: de Adult: Novel: 18. c. 2. *Conſtat igitur nec eandem duobus nuptam eſſe poſſe, nec eidem licere eodem tempore duas Uxores habere*, §. 6. Inſt: de Nuptiis, l. 15. §. 4. ff. de manum. Vind: *Gothofredus in Annot: ad l. 7. Cod: de Judæis.*

Art. 4. *De concubinatu Innuptorum & ejus Incommodis.*

§. 1. Reſtat jam ut de altera Concubinatus ſpecie pauca attexamus, quam aliquando jus civile permiſit. Erat ea ſolubili Matrimonio ſimilis, tum enim conteſtatio fiebat quod ſobolis ſolum procreandæ cauſâ coirent. Alioquin ſi honeſta eſſet & ingenua cum qua conjungeretur quis, ſine ea teſtatione quod non ea mente ut Uxorem haberet conveniebant, Uxor præſumebatur & pro eâ erat. Teſtatione autem præcedente non pro Vxore ſed Concubina habebatur; ut obſervat Tholoſanus ex Marciani verbis ff. de Concubinis, Lib. 25. Tit. 7. Hic contractus à Calliſtrato dicitur *Matrimonium Illegitimum*, & definire poſſit, *Contractus de concubitu prolis cauſâ nullâ*

nullâ nuptiarum interveniente ſolennitate, nullâ ad individuum nexum obligatione.

§. 2. In hac autem Concubinatus ſpecie, in qua minor videtur Improbitas, quæque inter Romanos aliquando inolevit, atque hodie etiam in Regnis Orientalibus uſurpatur, ſua etiam ſunt incommoda. Frequentia enim divortia, levibus de cauſis & ſubitis provocationibus facta, communem Vitam turbant. Nihil autem gravius eſt aut quod majorem concitat moleſtiam quam, ex divortio, Rerum & liberorum diviſio & diſtributio jam ex conjugio prognatorum; Neuter enim conjux ſolatio liberorum ſuorum carere voluit; quod tamen eo caſu alteri eſt neceſſarium: neq; enim cura educationis conjuncta parentibus eſſe poſſit, cum ipſi diverſim habitent atque à ſe invicem diſtrahantur. Et plura alia quæ in Nuptiis non accidunt in iſto concubinatus contractu veniunt incommoda. Qua in re acutiſſima videtur *Gregorii Tholoſani* obſervatio: *Uxor*, inquit, *non poteſt eſſe temporalis* (quales erant hujus ſectæ Concubinæ) *ſed perpetua, quia Moribus noſtris non convenit Filium habere temporalem.*

Art. 5. *Quæſtio de Concubinatu propter defectum prolis ex legitimo conjugio; & an is admittendus ſit?*

N. 1. *Concubinatus propter defectum prolis.*

Erant tamen aliquando, etiam inter gentes quibus Nuptiæ in Vſu erant, Nonnulli qui Concubinatum certis caſibus etiam inter Matrimonii conjuges admitti non inhoneſtum cenſebant. Quoties enim Liberorum procreatio, qui Conjugii inſtituti potiſſimus videtur finis alias non ſucceſſit, atque naturale prolis ex altera parte deſiderium illud exigere videbatur, ſi con-

conſenſu conjugum fieri poſſit ex Concubinatu ſupplebant quod ex Nuptiis fruſtra deſideratum eſt. Et proinde contigiſſe accepimus, Vxores cum Vterum ſibi ſterilem ſentirent, Maritos ad Venerem potentes non ſolũ ſine anxietate & inquiete ſuſtinuiſſe, ſed etiã extraneas hujuſmodi Viris ſuis exquiſiviſſe commiſtiones, & aut ancillas ſuas aut alias honeſtas Virgines iis, ſobolis faciendæ cauſâ, ſuppoſuiſſe.

N. 2. *à nonnullis permittitur.*

Stratonica cum ſe liberis, qui in regni ſucceſſionem vocarentur, carere videret, marito perſuaſit ut ex quacunque poſſit genitos ſibi ſupponeret: quod cum is negligeret ex ancillarum numero virginem forma præſtantem, nomine Electram, Deiotaro conciliavit, ex eaque genitos tanquam proprios educavit: ut à Plutarcho proditum eſt *in libro de claris Mulieribus.* Non abſimiliter Sarah uxor Abraham, Agar ancillam ſuam Ægyptiam Marito offerens. *Ecce concluſit me Dominus ne parerem: Ingredere*, inquit, *ad ancillam meam ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios*, ut ſcribitur, Gen. 16. *Rachel* quoque cum ſe ſterilem animadvertit Billam ancillam ſuam Marito comprimendam dedit, *ut pariat* inquiens *ſuper genua mea & habeam ex illa filios*, Gen. 30. Hæc Tiraquellus in 13. leg: concub: Gloſſ: p. 13. num. 35. Et ſentiens Lea quod parere deſiiſſet Zelpam ancillam ſuam Marito tradidiſſe eodem fine, Gen. 29. 29. accepimus.

Neque hoc ſolum in fœminis obſervatum comperimus ſed eadem rerum ſtatione nihilo minus in Maritis. Nam & Strabo tradit, lib. XI. Catonem Vticenſem uxorem ſuam Martiam Hortenſio conceſſiſſe liberorum procreandorum cauſa. *Hotomannus quæſt: Illuſt: 25. Plutarch: in Vita Catonis Vticenſis.* Bodinus tamen illud Plutarchi cenſura dignum putat,

Me-

Methodus Hist: c. 4. Quod in Catone Vticensi, inquit, mutuam dare uxorem apud Romanos licuisse tradit, idque feciſſe Catonem erga Hortensium, ut ex Martiâ Catonis nobili ut fœcunda Matronâ liberos susciperet, vix adduci possum & credam; præsertim cum ex Romuli lege de Adulteriis, & more veterum quem Tiberius revocavit, agnati Adulteras uxores pro arbitratu coercerent. Plura tamen passim extant hac in re Concubinatus exempla. Nam & Plutarchus *in Solone*, Solonis ejusdem legis meminit quâ uxori permittebatur, si vir ad rem veneream minus idoneus esset, Mariti propinquos admittere; ita ut non cum omnibus coiret, sed ex Mariti necessariis unum sibi deligeret, ne alienum esset quod nasceretur. Idem autor ex lege Lycurgi licuisse scribit seniori viro uxori juveni probum & honestum adolescentem admiscere, & ubi eam generoso semine complesset suum ipsorum quod natum esset efficere.

Has vero his casibus commistiones etsi fortean nec Naturam ipsam (quæ ejus jam est corruptela) nec Leges ubique populares vetuisse probari possit. Sanctior tamen & ab omni spurcitiei suspicione & vicinitate purissima Christiana religio à Christiano conjugio longe semotas voluit. Idque tam propter Fidem datam, quam propter sanctissimum in conjugio Christiano mysterium, Lib: igitur quinto, cap. XII. contra Julianum Pelagianum contendit Augustinus asserentem, scil: Ioſepho nullo modo cum Maria fuisse conjugium quia defuit Concubitus: atque advertit *præter fidem quam sibi debent conjuges ne fiant adulteria, & prolem cujus generandæ causa sexus uterque miscendus est; tertium bonum esse quod conjugibus adesse debet maxime pertinentibus ad populum Dei. Hoc*, inquit, *mihi visum est esse aliquod Sacramentum ne* N. 3. *In Christiana Ecclesia prohibetur.*

divor-

divortium fiat ab ea conjuge quæ non potest parere: Vel sicuti feciſſe Cato perhibetur ne ab eo viro qui plures non vult ſuſcipere liberos alteri fœtanda tradatur.

Pie igitur cavit Eccleſia ne omnino iſti contingerent caſus quibus ſatisfieri ſine ſublato Nuptiarũ fine aut Adulterii flagitio non poſſit. Idque duplici ratione primo ſanctiſſimâ & ſevera obteſtatione coram Deo ut a Matrimonio celebrando prorſus deſiſtant, ſi ſe notabili conjugii impedimento laborare cognoſcant. Deinde, ſanciendo, conjunctiones contra obteſtationem factas irritas eſſe nec nuptias inde conſiſtere. Conſtitutiones autem in reformatis Angliæ legibus eccleſiaſticis hujuſmodi erant Tit. de matrimonio. cap. 7. ſaltem deſignatæ.

Quorum natura perenni aliqua clade ſic extenuata eſt ut prorſus veneris participes eſſe non poſsint, & conjugem lateat; quanquam conſenſus mutuus extiterit & omni reliqua cæremonia matrimonium fuerit progreſſum, tamen verum in hujuſmodi conjunctione matrimonium ſubeſſe non poſſit: deſtituitur enim altera perſona beneficio ſuſcipiendæ prolis & etiam uſu conjugii caret. Verum ſi nota ſit utrique perverſitas hæc corporis, & tamen mutuus perduret de matrimonio conſenſus, nuptiæ procedant: quoniam volentibus non poteſt fieri injuria.

Par eſt ratio corporum maleficis artibus excantatorum & evervatorum, in quibus quoniam fructus nuptiarum tollitur, ipſas quoque nuptias detrahi neceſſe eſt. Præterea matrimonium diſſolvetur ſi uni perſonæ de altera non conſtiterit, vel quæ fuerit, vel quâ conditione fuerit. Conditionem autem hoc in loco capimus vel pro libertatis ſtatu vel ſervitutis.

Quibus compilatis ſaltem & propoſitis, nondum ſufficienti autoritate firmatis conſtitutionibus multorum Pontificum reſponſa & Jus Canonicum in omnibus quantum

quantum comperi, conſentit ut videre eſt Decret. Greg: lib. 4. Tit. 15. De frigidis, maleficiatis & impotentia.

Animadvertendum autem eſt, idque in omni hac diſſertatione, quoties juris Pontificii mentio fit, non quaſi Hiſtoriam ſolummodo narrans id facio, ſed quod cenſeam Autoritatem ejus præteriri non debere; cum firma ea adhuc & rata in omnibus ſub Imperio Britanico ſit, quatenus leges Canonicæ, legibus ſtatutis & conſuetudinibus hujus regni non repugnant nec ſunt contrariæ nec Regali D. Regis prærogativæ officiunt: quod ne paradoxum nimis cuiquam videatur, rem paucis aperiam. Poſtquam juriſdictionis Papalis tyrannidi, nuntium remiſiſſet Henricus octavus, ſummum Parliamenti concilium, anno 25 Hen: octavi, Weſtmonaſterii habitum legum Eccleſiaſticarum reformationi manum admovendam cenſuit hac ratione, quod conſtitutiones quædam Canonicæ tunc obtinebant, Regis prærogativæ derogantes, ſtatutis Regni contrariæ, & regiæ Majeſtatis ſubditis oneroſæ, placuit igitur ſenatui ut ex autoritate & voluntate Regis xxxii. deputarentur perſonæ (ſedecim clerici totidemque ſeculares) qui leges canonicas, conſtitutiones Synodales & Provinciales, perlegerent, fideli ſcrutinio examinarent, ſaluberrimas quaſque utiliſſimaſque atque obſervatione perpetua digniſſimas decerperent & in unum corpus compilarent; quæ Regio inſuper aſſenſu ſub Magni ſigilli teſtimonio confirmatæ obligationem parerent & vim legum obtinerent, Pulton. 25 Hen: 8. cap. 19. 35 Hen: 8. 16. 3 & 4 Edw: 6. 11. Ne tamen omni hoc temporis intervallo Ecclesiaſticis legibus Regnum prorſus deſtitueretur, autoritate ejuſdem Parliamenti cautum erat: *Quod Leges canonicæ,*

Quod jus Canonicum in Regno Angliæ non penitus ſit ſublatũ ſed ſub limitatione ſaltem aliqualivim legis adhuc obtineat.

Conſtitutiones, Ordinationes, & Synodales (ut loquuntur) Provinciales quæ tunc erant conſtitutæ, & Legibus, ſtatutis ſeu conſuetudinibus Regni non repugnabant neque adverſabantur, nec regali Regis prærogativæ quidquam derogabant, in uſu continuo & vigore obtinerent, conſque donec completâ Legum Eccleſiaſticarum reformatione, à prædictis xxxii. *perſonis, aut majori eorundem parte, aliud ſtatueretur contrarium aut diverſum,* Pulton 25 Hen: 8. cap. 19. Ita interim fit, ut neque ad hunc uſque Diem Viri prædicti xxxii, Regis Commiſſarii opus perfecerint, nec talis aliqua legum Reformatio autoritate Henrici 8. aut Edwardi ſexti (cui etiam legum ferendarum per xxxii commiſſarios ſub iiſdem conditionibus poteſtas à Parliamento eſt delata) poſt examinationem & approbationem dictorum Commiſſariorum, ſub magno ſigillo confirmata ſit, aut in locum Veterum Canonum ſubſtituta. Sequitur igitur proinde, cum Intervallum nondum ceſſaverit, conſtitutiones haſce veteres Canonicas, adhuc ſuum obtinere vigorem hac ſaltem limitatione reſtrictas, *Quatenus ſcil: Regis prærogativæ nihil detrahunt & Legibus, Statutis, & conſuetudinibus Regni non adverſantur*: ſi autem quicquam contra eaſdem admittatur, poteſtas coercitionis in Judice Eccleſiaſtico ponitur: hæc quippe poteſtas à Judice Eccleſiaſtico, ſuffragiis Senatus Parliamenti, anno 17. Caroli primi ſublata, Novella conſtitutione præſentis Parliamenti, anno 13. Caroli 2. (quem diu Regnorum ſuorum commodo tueatur & ſemper proſperet Deus,) juſtiſſima ſanctione Eccleſiæ rurſus modo reſtituitur.

CAP.

CAP. III.

De Fornicatione.

Art. 1. *Quid per vocem* Πορνεία *ſignificetur.*

PRoximum, ad quod jam explicandum devenimus, vitium, Græcè πορνεία dicitur, Latine Fornicatio: vox utráque ampli & varii ſenſus. Apud LXX & ſæpius in N. T. Πορνεία pro Adulterio uſurpatur, ut *Matt.* 5. 32. & 19. 9. Per πορνείαν enim uxoris in maritum, peccatum, illic ſatis apertè indicatur; & apud Syrandem, 23. 23. de muliere quæ virum reliquit, dictum eſt, quod ἐν πορνεία ἐμοιχεύθη. Ita etiam ſpirituali adulterio, *Fornicationis* vocabulum plerunque tribuitur. Poſtquam enim (ut phraſi ſacra utar) expanderat Deus alam veſtis ſuper populum Judaicum, conveneratque in conjugale fœdus, *Ezech.* 16. 8. ἐξεπόρνευεν ille exercebat πορνείαν, πορνεῖα καὶ οἰκοδόμει πορνεῖον ædificabat; Spirituale autem illud dici meruit adulteriũ (ſi ſtrictiori ſenſu intelligenda ſint vocabula) potius quàm Fornicatio, cum Deo maritatus nuptuſq; à propheta ſupponatur populus, qui turpiter in Deum peccavit. Ahola, & Aholiba, Samaria, & Jeruſalem *nuptæ erant & pepererunt Deo filios & filias,* at per integrum, cap. 23. Fornicatione ſe polluiſſe poſtulantur.

Pro inceſtu etiam legitur 1 *Cor.* 5. 1. Ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία, quænam autem erat illa Fornicatio? Interfuit eis ſcil. aliquis *qui uxorem patris duxerat.*

Apud prophanos vix extat vox Fornicatio latine, aut græcè πορνεία. Generaliter autem πορνὸς vocabatur Mas, & πορνὴ fœmina quæ corpus suum vendidit; derivatur à πέρνημι vendo: hoc animadvertit Zenophon, lib. 1. Apomnem: p. 426. Τὴν ὥραν ἐὰν μὲ τὶς ἀργυρίῳ πωλῇ τῷ βουλομένῳ, πορνὸν αὐτὸν ἀ τοιαλῦσι, unde Sophistas πόρνους, quod non nisi mercede conducti sapientiam docerent, comparat. Fornicari etiam eâdem latitudine quâ meretricari, accipi à Latinis plerumque solet. Meretrix autem à merendo dicitur: elocat enim corporis sui usum, ut mercedem, quam mereri dicitur, accipiat.

Rahab an lupanar an Cauponam exercuerit.

Scio tamen Viros doctissimos non deesse, qui candidius Vocem πορνὴ honestiori sensu velint accipi, quasi idem aliquando significet quod Cauponaria, seu Oenopolii, aut Diversorii (in quo hospitantur Viatores) Domina, quæque res peregre proficiscentibus necessarias pretio vendit. Hoc autem præcipue faciunt ut *Rahabam* quæ semper fere in scripturis honorifice celebratur, quæque *Jacobi cap. 2. v. 25.* ex bonis Operibus suis Justificari dicitur, à meretricio quæstu & turpitudinis notâ liberarent. Atque horum sane interpretationi aliquatenus patrocinari videtur Chaldaica Paraphrasis, quæ ubique in Veteri testamento ubi זוֹנָה heb: apud LXX πορνὴ redditur, idem vocabulum per Vocem *Cauponaria* interpretata est, ut *Jos: 6. 17, 22, 25. & 2. 1.* Atque Arabica non minus; qua Venditrix dicitur, quod Græce πορνὴ redditur. An vero Cauponaria fuerit Rahab, an Una è Meretricum numero proprie sic dictarum, quæ Scribis & Pharisæis in recto ad Cœlum cursu, præiverunt, non hujus loci aut temporis est pluribus disputare.

Art. 2.

Art. 2. *De Fornicationis definitione.*

Definiri non inepte poſſit Fornicatio, *Illicita Veneris ſpecies, qua ad mulierem acceditur ſui juris exiſtentem, non maritatam, nedum ſub parentum poteſtate, unde turpis ſit, ſed ſine Vi, concubitus*; Ubi enim abſq; juſtis Nuptiis concubitus, qualicunque cum Muliere eſt, ſi conjugio ſubſit peccans, Adulterium, ſi parentum poteſtati, ſtuprum, ſin Vis adſit, Raptus dicitur, ſecus nuda tantum & ſimplex dicitur Fornicatio: Nomine à Fornicibus deducto, ubi Meretrices, ſubmænianæ (ut vocat Martialis) Uxores, proſtare, & corporis uſuram ſolebant vendere.

Art. 3. *Quomodo jure coercetur Fornicatio, obiter item, de pœnis Arbitrariis, pecuniariis, & commutationibus.*

Ex ſententia Bartoli dicit Bartolinus, *Inſt: Juris Can. lib. 4. tit. 8. in annotatis ad §. finalem,* Jure Civili Fornicationem eſſe impunibilem, *Bart: in l. verum ff. de furtis, & in l. 3. ff. de condictione ob turpem cauſam*; verum fortaſſe quis rectius pœnam Fornicationi Jure Civili non certam, quam nullam, irrogari dixe it. Ait enim Ulpianus ff. de ritu Nupt: l. palam 43. §. 4, 5. *Non ſolum ea quæ corpore quæſtum facit, verum ea quæ fecit quoque, etſi facere deſiit, lege notatur: neque enim abſolvetur turpitudo quæ poſtea intermiſſa eſt:* & §. 5. *Non eſt ignoſcendum ei, quæ obtentu paupertatis turpiſſimam vitam elegit.* Et l. 39. ff. de Furtis reſpondet Idem Ulpianus quod, *Qui ſuppreſſit ſcortum libidinis cauſâ, lege Fabia, vel de vi, non tenetur: hic enim turpius facit, quam qui ſurripit:*

ripit. Vnde arguunt J. Cti. Fornicationem juris censura Vi & Furto turpius censeri crimen; quam comparationem ex Imperatoris ipsius rescripto defendunt, qui novella 14. postquam rescripserat, quod Lenones à Prætoribus ad ultima supplicia trahi deberent, hanc constitutionis suæ rationem attexuit, *Quia,* inquit, *si Prætores pecuniariorum furtorum & latrociniorum emendatores eligimus, quomodo non multo magis castitatis furtum & latrocinium eos coercere permittimus?* Et Commissarii Regis Edoardi, constitutionibus Ecclesiasticis reformandis deputati, æquum statuebant, eos, qui pudicitiæ Thesaurum aliis detrahunt (omnibus reliquis opibus & copiis pretiosiorem) in graviores pœnas incidere, quam fures, quorum in rebus externis peccat improbitas, *Tit: de Matrimonio, cap.* 3.

Causæ cur pœnitentiæ & pœnæ Ecclesiasticæ arbitrariæ magnâ ex parte sint relictæ.

In jure Canonico sive Ecclesiastico, Fornicationis pœna est arbitraria. Ita Inst: juris Can: lib. 4. tit. 8. de Adulteriis & aliis conjunctionibus illicitis: *Si quis,* inquit Lancellotus, *cum muliere soluta, vel impudica, simpliciter fornicatus fuerit, tam pœnitentiæ modus, quam etiam alia pœna, in Judicis potissimum reponetur arbitrio; qui ex qualitatibus variis, majorem aut minorem pœnam statuet.* Atque hic omnes quæ circa Fornicationem contingere possint circumstantiæ, pensitari solent; præcipue autem variæ conditiones & dignitates delinquentium. Locupletiores multo ære luunt, Viliores quibus æs non suppetit, gravius puniuntur, luunt in Corpore. *Minima autem pœna corporalis* (juxta regulam Canonicam) *major est quavis pœna pecuniaria.* Causa cur pœnitentiæ & pœnæ Ecclesiasticæ in arbitrio sacerdotis & ordinarii positæ sint, ut personarum deversæ conditionis intuitu, in alias mitiores mutarentur, hæc aliçubi inter rescripta pontificia

pontificia recenſetur cauſa; quod Duces, Marchiones Comites, Vicecomites, Præfecti militum, multíque alii qui illuſtri & ſpectabili Officio ſunt conſtituti, pœnitentiis otdinariis (puta ſeptennali) * pro quolibet peccato mortali, non poſſint ſubeſſe, niſi à ſtatu & dignitate ſua, & Officiorum ſuorum curâ, interim dimoveantur: Vnde graves, periculoſæ, turbulentæque fierent, in Regnis omnibus, mutationes. Viles autem perſonæ pro lubitu acerrimis ſubjiciuntur ſupplicíis; Commentarienſis enim morte dignus eſt qui meretricem ſuo carceri incluſam cognovit, etiam ſine vi, ut placuit Ioanni Fabro, *in* §. *Item lex. De publ: jud:* cum tamen communiter, ut infra oſtendimus, etiamſi quis rapuerit meretricem, vimque ei intulerit, Raptus, propter vilitatem compreſſæ, Iure non punitur.

* 33 q. 2. c. hoc ipſum Lyndw: de purg can: Cap. Item licet in v. Adulterio.

Cap. de Raptu.

Cum igitur propter Honoratiorum coercitionem, commutationes pœnarum atque pœnitentiæ arbitrariæ ſunt, non tantum propter Fornicationis, ſed aliorum etiam delictorum coercionem) introductæ; dubitatum aliquandiu eſt, An pœnæ corporales poſſint in pecuniarias commutari? An pecuniariæ poſsint à Iudice Eccleſiaſtico infligi? An denique Iudex ordinarius mulctas haſce ſive emendas (ut vocant) poſsit in ſuum uſum convertere?

In prioribus nonnulli ſunt qui opinabantur, quod Iudici Eccleſiaſtico ſpiritualis ſolum & corporalis caſtigatio competat, nec eſſe de jure communi, ſed potius ex ſpeciali conſuetudine, quod pœnæ pecuniariæ irrogentur; *Lyndwod Provincial. lib.* 3. *De Immunit: Eccleſ: cap. Accidit in verb: licet.* Alibi tamen has ſummatim conficit totius controverſiæ concluſiones. 1. Quod ubi pœna pecuniaria in jure ſtatuta eſt, ibi eam infligere poteſt is, qui de ipſo delicto po-

An pœna pecuniaria ab Eccleſiaſtico infligi poſſit. Et an corporalis poſſit in pecuniariam Commutari?

teſt cognoſcere. 2. Ubi pœna ſpiritualis vel corporalis limitata eſt, tunc illa non mutanda eſt niſi per eum, qui poteſt ſuper eo, pro quo infligitur, diſpenſare. 3. Si nulla pœna limitata eſt, ut in hac admiſſæ Fornicationis ſpecie, tunc, ad arbitrium judicis, poteſt infligi una vel alia pœna etiam pecuniaria. 4. Quod ubi non competit facultas Archidiacono, commutandi pœnitentias, aut imponendi peccantibus, ex arbitrio, pœnas, ex jure communi; poſſit tamen eidem ex conſuetudine præſcriptâ hæc facultas competere. *Lyndwodus, De officio Archidiaconi, Cap. Eiſdem in verb: pœna canonica*

An judex mulctas pecuniarias poſſit in ſuum uſum convertere?

In ultima quæſtione ex communi canonico jure emendas ſibi retinere, aut in ſuum uſum convertere, prohibetur ordinarius: in pias enim cauſas, propter redemptiones captivorum, Eleemoſynas, Ædificationes Eccleſiarum, & ſimiles, ſunt erogandæ. Jubet Innocentius Prælatos, in impoſitione pœnæ, cavere à quæſtu pecuniæ & ſubditorum gravamine. *Extra de Pœnis, cap: Presbyteri* 13. *ad finem* Et præclara eſt Joannis Stratfordii conſtitutio in Provinciali Lyndwoodi, lib. 3. De cenſibus & procurationibus, cap. quamvis lex Naturæ. §. Item quia. Quam etiam nunc tranſcribere non gravabor. *Quia viſitantes Archidiaconi & alii ordinarii tam in Eccleſiis, quam ornamentis eorum, & cimetariorum clauſuris, Manſorumque domibus, reperientes defectus, ipſos ſub pecuniariis pœnis præcipiunt reparari: & à non parentibus extorquent pœnas hujuſmodi, quibus dicti defectus debite poterunt emendari: inde ſuas burſas cum jacturâ pauperum, his diebus oppreſſorum, inſolite nequiter impinguantes: Igitur ne propter tales exactiones pœnales, adverſus Archidiaconos, & alios ordinarios & eorum miniſtros, detur occaſio malignandi, nec Eccleſiaſticos viros*

ros deceat quæſtibus inhoneſtis & pœnalibus anhelare, vel ditari: ſtatuimus quod pœnæ hujuſmodi quoties exactæ fuerint, in reparationem convertantur hujuſmodi defectuum repertorum, ſub pœnâ ſuſpenſionis ab Officio: quam, contra præmiſſa, ſibi ipſis pœnas hujuſmodi applicantes, donec ſic percepta, ad reparationem dictorum defectuum cum effectu aſſignent, incurrere decernimus ipſo facto: & notat Lyndwoodus quod *Judex non debet levare pecuniam ex avaritiæ fomite, quod intelligitur fieri, cum ſibi retinet: niſi forte ubi ſtatutum eſt.*

Aliquibus enim in caſibus, ut Ordinarias mulctas haſce in ſuos uſus converterent, canon permiſit atque uſu eſt receptum: ita in *Decretalib: Greg: lib. 5. Tit. de pœnis, cap. 2.* Presbyteri interfecti compoſitio, ex concilii Triburienſis decreto, Epiſcopo ſolvitur, cujus medietatem in ſui ipſius Eleemoſynam conſervare, alteram partem utilitatibus Eccleſiæ, cui præeſt, debet diſpertire. Et ſi Archidiacono aliter non ſufficit, unde debite & competenter vivat, poteſt pœnam pecuniariam in ſuos uſus convertere. Ita Lyndwoodus, *de Officio Archidiaconi cap: Archidiaconi in verb: ſub pœna.*

Quantum autem mali, quos motus & tumultus, in Eccleſiaſticos abuſus commutationum, & Avaritia plerunque commiſſariorum, & vera (aut imputata ſaltem) pœnæ pecuniariæ extortio, in regnis hiſce concitarunt, veteres & novæ teſtantur hiſtoriæ. Queritur in Conſtitutionibus à ſe factis Stratfordius Epiſcopus Cantuarienſis, quod *Magnates & Potentates ſæculares, viros Eccleſiaſticos pœnitentias pecuniarias imponentes, & pro pœnitentiis corporalibus redemptiones pecuniarias impœnentes, de & ſuper extorſionibus exceſſivis* De incommodis quæ ex commutationibus & pecuniarum exactione & in ſuos Uſus converſione Judicio Eccleſiaſtico accidebant.

ſivis

sivis indictare solebant, sicque indictatos, attachiare & incarcerare, & super his in foro seculari eos sibi respondere compellebant, per Brevia regia & processum judicum secularium, quibus, multas pecuniarias, eâ occasione, in dicto foro seculari imponi procurabant. His ex causis etiam, concursus fiebant cum turmis & strepitu ad Judicia Ecclesiastica, Judices, Litigantesque terrere solebant, quo Ecclesiastica confundebatur Jurisdictio, & Officium prælatorum opprobriose suspendebatur. v. Provinc: Lyndwoodi, lib. 3. Tit. de Immunit Eccl: cap. *Alexander, 111.* Accidit novitate. Quin & ipse Pontifex Romanus talem, in Archidiaconatu Episcopatus Conventrensis, malæ consuetudinis corruptelam, redarguit & Cantuarienſi Archiepiscopo rescripto mandat, ut Archidiaconis prædicti Episcopatus, *districte interdicat, ne, in corrigendis excessibus à clericis & laicis, pecuniariam pœnam exigant, aut pro annua exactione pecuniæ, personas suspendant, ecclesiis interdicant, aut alia agant quæ ex radice cupiditatis & avaritiæ, prodire videantur.* Decret: Greg lib. 5. Tit. 37. de Pœnis, Cap. 3.

Ecclesiæ, ad hæc scandala præcavenda, Anglicanæ, Providentia. Taceo recentes historias, & laudo potius eximiam, hac in re, Ecclesiæ Anglicanæ providentiam & cautelam, quæ, ut cessarent aliquando hujusmodi querelæ, omnem, ex commutationibus extorsionis pecuniarum occasionem, præcludere studuerunt. In synodo inchoatâ Londini 3 Aprilis, 1571. præsidente Mattheo Archiepiscopo Cantuarienſi his verbis cautum est: *Commutationem injunctæ pœnitentiæ, nec Cancellarius faciet, nec Archidiaconus, nec Officialis, nec Commissarius. Ea potestas multis gravibus de causis Episcopo soli reservabitur, aut si quem alium Episcopus, ad eum usum speciali mandato designabit,* v. Lib: quorundam Canonum. Tit: Cancellarii Commissarii Official.

In Synodo autem totius Provinciæ Cantuarienſis, 1584,

1584, & in altera Synodo, 1597. (quarum utráque, conſtitutiones ſuas Autoritate etiam regiâ ſec: Parliamenti ſtatutum, ratas habuit,) his verbis ſtatuitur. *Ne qua fiat poſthac ſolennis pœnitentiæ commutatio, niſi rarioribus gravioribuſque de cauſis, atque adeo cum ipſi Epiſcopo conſtiterit, eam eſſe, ad Reum reconciliandum, & reformandum, ſaniorem & tutiorem rationem. Deinde quod mulcta illa pecuniaria, vel in relevamen pauperum ejuſdem paræchiæ, vel in alios pios uſus erogetur: idque Eccleſiæ fidelitur approbetur & innoteſcat.* Cap. de moderanda ſolennis Pœnitentiæ commutatione. Quin & Epiſcopi cautiores, ut omnem Commiſſariis, & Officialibus, & Cancellariis, hujuſmodi avaritiæ intercludant anſam, Officialitate, aut Cancellariatu adhuc vocante, antequam Commiſſionem obſignant, cum cæteris fructibus & emolumentis uti & frui propter Officium concedunt, veterem ſiqua talis eſt percipiendis ex commutationibus commodis conſuetudinem, ſpecialiter excipiunt, atque ei exercendæ interdicunt. Et, quod pœnas attinet, Commiſſariorum his conſtitutionibus & conditionibus non parentium, in Synodis ſuperius annorum, 1584, & 1597. cautum eſt, quod, *Quicunque abſque Epiſcopi Dioceſani notitia pœnitentiam commutaverit, aut pecuniam ratione commutationis hujuſmodi, ſolutam, in alios quam pios Uſus converterit, is ab Executione Officii ſui, per eundem Dioceſanum per tres integros menſes ſuſpendatur.*

Art. 4. *De Merito Fornicationis, ubi Rationes explicantur, cur inhoneſta, & ſocietatum humanarum felicitati inimica, judicari ea debeat.*

In pœnis delicti hujus explicandis, & quas ad ejuſdem coercitionem, Ordinarii juſte poterint ex arbitrio

pœnas

pœnas imponere, singulatim expendendo nimius fui; aliquantum etiam fortasse digressus sum. Nunc ad meritum Fornicationis æstimandum redimus: quod ut melius innotescat, perinde faciendum duximus, atq; prius fecimus in Capite de' Adulterii dignitate & congruente pœnâ. Eadem quippe postulabimus concedi, naturæ insita principia, de στοργῆς in (*a*) prolem, & naturali affectu quo ducti, à nobis natis, omni ratione atque opera, studemus benefacere; de (*b*) Innocentia ad innocentes extendenda: (*c*) De Amore nostri, quo fit, ut conservationi nostræ & felicitati promovendæ, studeamus.

[a] §. 3.

[b] *Cap. eod.* §. 2.

[c] *Cap. eod.* §. 4.

Secundo postulabimus etiam, ut in Capite superiori, notiones istas non sine Finis intuitu insitas fuisse, & justum esse atque humani generis interesse, ne illi evaderent impunes, qui scelera quæcunque, contra insitas hasce naturæ notiones, student perpetrare.

Ex quibus positis & concessis, etiam naturæ lumine damnatam censemus Fornicationem: imo in Regnis, præsertim ubi ex nuptiis lege stabilitis, castitati cautum est, non simplici ratione perducti, genus non turpissimi tantum, sed & injuriosissimi coitus, existimamus.

N. 1. *Arg: ex incommodo respectu prolis & στοργῶν incuria.*

Imprimis enim non felicitas solum, sed quod altius surgit, & ipsi Innocentiæ adversatur, ipsa prolis nascendæ vita, in præ-grande discrimen ducitur, quo nihil districtius, naturali de φιλοτεκνία placito, repugnat. Prolem quippe Quæstuariæ non curant meretrices, imo ne ea molesta sit, aut turpes aliquandiu lucelli occasiones tollat, præcludatque; omni arte eniuntur, ut sua semper fruantur ἀτεκνία. Quoties hujusmodi Lupas pro communi foro Judiciali vidimus capitis peragi reas, quod vitam infantibus abstulerint imo quod Cloacis eos suffocaverint? quot crebro

sunt

sunt reperti, morti vel saltem Casui expositi, ἡμιρίβιοι unius homines dieculæ? Sin cogat hoc affectus fortitior naturalis, ut velit mulier pro viribus quam poterit optimè, prolem suam enutrire, atque educare; operam quam possit eam præstare cedimus; sed potest solum muliebrem. Huic deest sexui Vis, facultas, & peritia, ne prolem ita liberaliter educet, quin, ut multo feliciores sint futuri, quibus instituendis & solertia providentiaque patris, & amore naturali suffulta, Mascula opitulatur Industria: Quin &, si nulla esset sexus eminentia, nulla in homine, virtutis prærogativa, at vis unita fortior, dicimusque in veteribus juxta atque recentibus proverbiis, ἕνα μηδένα. *Plus videre oculos quam oculum.* Dilucidius hâc in re Aquinatis videtur argumentum: 2ª 2æ qu: 154. Art: 2. conclus: *Fornicatio,* inquit, *simplex, importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus qui ex tali concubitu est nasciturus; Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris & fœminæ, quod in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam fœminam, unam vel plures, est restrictio; sicut patet in omnibus avibus. Secus autem est in animalibus, quibus sola fœmina sufficit ad educationem fœtûs, in quibus est vagus concubitus, ut patet in canibus & hujusmodi aliis animalibus. Manifestum est autem quod ad educationem hominis, non solum requiritur cura matris à qua nutritur, sed multo magis etiam patris, à quo est instruendus & defendendus, & in bonis tam exterioribus, quam interioribus promovendus. Et inde est quod naturaliter, est maribus in specie humanâ sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Hæc autem certitudo tolleretur si esset vagus concubitus.* Et Rab: Moses more Neuochim, p. 3. c. 49. *Hâc,* inquit, *de causa*

pro-

prohibita ſunt ſcorta, quia per eorum licentiam familiæ deſtruuntur & confunduntur, natique illorum pro alienis habentur omnibus hominibus, ita ut nullos ipſimet ſibi cognatos ſciant, neque ex propinquis eorum ulli ipſos velint agnoſcere. Quid vero pejus tum ipſis tum parentibus eorum poſſit accidere? Sic Rab: Moſes.

Reſponſio objectis. Et ſi objiciatur caveri poſſe, ut publicis ſumptibus educentur inſtruanturque vulgo nati, ut apud Spartanos aliquando,& Perſas fiebat, imprimis reſpondeo, hanc conſiderationem tunc ſolum opportunam eſſe cum formanda eſſet reſpublica, tum enim, ſi alia ratione æque feliciter poſſit, innocentiæ, juſtitiæ, paci Civium, conſuli, atque per Nuptiales contractus, Prolis item perinde felicitati & Corporum ſanitati æque provideri, conſilio fortean opus eſſet. In republica autem conſtitutâ niſi majora comperiantur ex Nuptiis incommoda, quam ex promiſcuæ Veneris Vſu, æquum eſt quemque, jure gentis ſuæ, quod quaſi communis eſt contractus, contentum eſſe: Verum enimvero ſi publicis ſumptibus educentur liberi vulgo nati, ab iis educentur neceſſe eſt, quibus, nullo affectus naturalis nexu, colligantur, à Mercenariis, qui ad pretium participandum, non ad exequenda paternæ dilectionis officia, iſto verſantur opere, & munere ſunguntur, ſibi quidem gravi & neceſſario, quod parentibus natura fecit (quandocunque ſuppleatur licet operis impendio) dulce & Voluptuarium.

Confuſionis denique liberorum, præter alia quæ ſtatim recenſebimus Incommoda, nullum excogitari poſſit,(ſi promiſcua ſit Venus) remedium; & deeſſent perinde Liberi qui à parentibus propriis poſſint diligi, & στοργὴν nobis à Natura, inſitarum, Uſus redderetur fruſtraneus. Illa denique, cujus meminit Aquinas, quæ Naturaliter Moribus in ſpecie humana ineſt

ineſt ſollicitudo de certitudine prolis, nullum prorſus ſibi Remedium in hujuſmodi Politiis inveniret. Quæ quidem tanta eſt, ut non deſint generoſi etiam Viri qui faſſi ſunt, ſe, poſt multos annos in illicitæ Veneris præliis & amoribus elapſos, ſibi tandem, & ſollicitudini de futura ſobole, non potuiſſe alia ratione, quam ex juſto conjugio, ſatisfacere. Sed hæc, de ſollicitudine propter defectum aut confuſionem liberorum, ad tertium argumentum propius videntur pertinere.

2. Ex hoc coitu innocentes, quod Innocentia nullâ artione permiſerit, contra Naturalis Juſtitiæ dictamina lædi poſſe & ſolere, res ipſa oſtendit; Perſonæ autem quibus crebrius inde detrimentum accidit, ſunt, Perſonæ ipſæ peccantes, atque inter eas in primis Vitiata Mulier, & naſcendus inſuper ex fornicatione, fœtus, preſertim ubi ſeverius in hoc vitium animadvertitur. Si enim meretrix ſit, cum quâ hujuſmodi turpitudinis actus admittitur, (quales ſunt qui venalem pudicitiam habent, & proſtrati pudoris, quæſtum faciunt,) tum ſane permagnum eſt de infante periculum. Sin fortè Virgo prius, & honeſta fuerit, ſtupro affine eſt delictū, nec ſolum periclitabitur Infantis vita (ut ſcortationis indè evitetur infamia) ſed etiam Virgini ipſi damnoſū eſt futurū quod quis eam ad hoc perſuaſerit. Minoris enim apud omnes gentes æſtimatur, quod ſpē nuptiarū attinet, cui læſa eſt pudicitia. Quotuſquiſq; eſt eorum, qui ambiunt ſponſalia, qui ſciens corruptam duxerit? Hinc natæ leges quibus cavetur ut Satisfactio fiat corruptis, propter damnum, ex illicito concubitu eis illatum. *Si quis pellexerit virginem quæ non eſt deſponſata, & cubaverit cum eâ, omninò conſtituens ei dotem, accipiat eam in uxorem: Si planè renuit Pater ejuſdem dare illi, pecuniam pendito prout eſt dos virginum.* Exod. 22. 16. 17. Ita Hebræorum juſſit τυραννία Et ex jure

Arg. 2. ex noxa inde innocentibus ſolitâ contingere.

Gen-

Gentium sic Grotius, *qui virginem imminuit vi aut fraude, tenetur rependere, quanti minoris ipsi valet spes nuptiarum, imò & ducere tenetur, si eâ promissione corporis usuram impetraverit.* Grotius de jure belli lib. 2, cap. 17. 15. Ex quibus patet commune Judicium, per hujusmodi concubitum, damnum dari; nulla enim à quopiam fit, nulla unquam exigitur satisfactio, nisi pro damno dato. Leo Modena Rabbi Venetus in Historiâ Judæorum Modernâ, asserit, consuetudines Judæorum & leges exigere, ut, quicunque, vi vel fraude, imminuerit virginem, si patrivres ac vitiatæ placuerit, cogant eum Judices, eandem uxorem ducere, ità ut nunquam liceat eam repudiare (quamvis alias apud eos non sit illicitum uxorem remittere) idque eo præcepto *Deut. c 22. ad finem*, sin non placuerint nuptiæ, cogitur vir tantum solvere, quantum ejus interfuit, non vitiari. Atque ita, quæ arte nulla est reparabilis, dote tamen & numerata pecunia, restitui censebatur pudicitia. Sed cum hi casus stupri delictum fere designent (fere dixi, quia ad stupri delictum admittendum, requiritur, ut Virgo vitiata sub parentum cura sit, & si secus fiat, simplex tantum fornicatio reputetur) capite insequenti, injuria, ex hac specie fornicationis oriunda, opportunius Deo volente declarabitur.

Hypoth. de Officiis cap. 3. n. 13. ¶. 6.

Quoniam autem *in Hypothesi* supposui, non tantum contra Innocentiam peccare, qui alios innocentes actu læserunt, sed eos etiam qui Autores erant, ut res ea ponerentur lubricitate, ut Damnum inde, innocentibus possit contingere, (qua ratione pœna decem Aureorum in eum Jure Civili est constituta, qui ea parte qua vulgo iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit, alicui nocere: Et damni dati æstimationem dare tenetur Dominus qui Equum calcitrosum, aut Bovem cornu petere solitum, illic alit

ubi

poſſit) Et quod ea omnia quæ ad injurias diſponunt homines & præparant, etiamſi eas non ſemper ſtatim inferant, ex Jure Naturæ (adeoque divinâ pariter humanâque ſapientia) ſint prohibita: ex his inquam ſuppoſitis facile arguitur Fornicationis in repub: tolerationem, haudquaquam cum Innocentiæ ſtudio, poſſe conſiſtere. Sicut enim ubi nulla fixa ſunt Dominia, nullæ ſtabilitæ rerum Proprietates, quoties pluribus ejuſdem rei, quæ pluribus ſimul communis eſſe nequit, cupiditas & deſiderium naſcitur, toties Duella & Contentiones ſimul oriuntur: Ita ſi tolleretur quæ per nuptias conſtituitur perſonarum Proprietas, omniſque fœmina in communi jaceret, adeoque omni pateret Viro, tales inter homines credibile eſt de Venere orituras eſſe dimicationes & non incruentos concurſus, quales inter plura alitilium & quadrupedum genera, quales inter Cervos Tauroſque aliquando videre eſt

Quod duella & noxiæ contentiones quibus pax reip: turbatur ex Fornicatione oriri ſoleant.

Cum pretium pugnæ toto nitidiſſima Campo
Expetitur conjux. ——Atque hoc animadvertit ſagaciſſimus ille Ebræorum Magiſter Maimonides: More Nevochim, Part: 3. c. 49. *Si ſcorta*, inquit, *eſſent permiſſa, ſæpe uno & eodem tempore ad eandem mulierem plures viri forte convenirent: inter quos neceſſario, diſſentiones, pugnæ, & per conſequens etiam non raro homicidia orirentur, ita ut vel illi ſe invicem, vel ipſam meretricem occiderent; ſicut ex perpetua Experientiâ notum eſt.* Cum igitur Fornicationis ſeu coitus promiſcui permiſſio, ſit quaſi initium Diſcordiarum & Homicidii; cum ſaluti Civium, tranquillitati rerum, & perfectæ paci adverſetur (quibus rebus, excepta futuræ Vitæ immortalis ſpe & conſcientiæ gaudio, nihil magis cordato homini cordi eſſe debet) ejus Uſum cum ſtudio Innocentiæ, non poſſe conſiſtere omnes conſentient.

Gravissimique inferantur corpori humano morbi.

Sed gravissimos, qui humanis corporibus ex hac plerunque Incontinentiæ specie inferuntur Morbi, pœne præterieram. Horum præcipui sunt Gonorrhæa, & Venerea lues; de quibus si ad hæc rostra consulendos è Medicinæ scholâ professores citaremus, atque adeo Medicorum in sua facultate sententias scrutaremur, proposita scil: quæstione hac medico-legali, *An Lupanaria, Meretrices, coitusque promiscui Usus aliquales hujusmodi morborum censeri debeant Causæ?* vereor ne omnino ist hoc absolvantur judicio.

Aurelius Minadous *de Virul: Vener cap.* 39. sic sentire se asserit, virulentiam luis Venereæ ex fœdissimis impurissimarum meretricũ Uteris, imprimis in India erupisse: idq; ea de causa opinatus est, *quod nemo qui pure vixerit, aut qui cum pura sit conversatus hac lue corripiatur; inde autem fœminas impurissimas redditas, quando variam seminum commistionem admiserunt. Sicut enim,* inquit, *unus cibus sano Ventriculo sanitatis causa est, varietas vero ventriculum premit, & acidam, nidorosamque cruditatem parit, excrementáque passim congerit. Ita unicum semen uni utero tantum familiare & sanum est, fœcunditatemque promovet. Contra multitudo & varietas seminum Uterum ita afficit, at prava, imo pessima excrementa, sui corruptione, producat & ex sordidâ illâ substantia fiat explicatu difficilis Corruptio aut Putredo, quæ excrementa tam venefica gignat.* Nec origo solum sed & duratio hujus morbi iisdem Vitiis debetur; hanc enim propagationis ejus historiam Sennertus refert. *Si,* inquit, *alicubi pestis grassari incipit omnes, quantum possunt & licet, conversationem cum ægris fugiunt, omnemque Supellectilem infectam aversantur: at plurimi scientes & volentes cum scortis rem habent, & lupanaria publica me-*

Opinio Cl; Sennerti quod extirpato Fornicationis usu ipsa Venerea lues possit extirpari.

meretricibus infectis plena permittantur; Ideoque si ea Diligentia & Curiositas, quæ, in nonnullis locis, tempore pestilentiæ adhibetur, in infectis & suspectis à consortio aliorum excludendis, etiam in vaga illa Venere coercenda, adhiberetur, forsan & hic Morbus quamvis contagiosus prorsus extirpari posset, Sennert: Lib. 6. Part. 4. Cap. 4.

Inter causas Gonorrhææ præcipuas, recensent Medici, facultatis retentricis Imbecillitatem; Hanc autem enasci asserunt sæpius propter crebram frequentemque nimis & largam seminis profusionem, unde prodiga Spirituum jactura fit & mira Vasorum seminalium laxitas, *Folliculi scil:* (ut Platerus reverendus in Galenica Medicina senex refert) *semen continentes, in gyris suis & Vasa semen continentia nimium ex frequenti coitu ampliantur, atque adeo laxantur ut inde facile & levi occasione semen exeat, Viasque etiam* (quod ipsum Gonorrhææ malum est) *sponte sua pertranseat.* Inde etiam fit quod vesiculæ seminis crebro inanitæ magis aquoso aliquo humore, aut profluvio seroso (sanguineum taceo) quam semine genuino repleantur: ex humore autem hoc ita irrigari ductus Naturales affirmant Medici, ut propter viarum lævorem & spirituum defectū Gonorrhæa fiat, V. Platerum de Spermaticarum Excretionum causis. D. Ioelem. Lib. 7. Pract. Sect. 11. §. 3.

Vendunt igitur sanitatem improbæ mulieres, quæ ex frequenti corporum suorum prostitutione vilem quæstum faciunt: Viri autem qui hæc lupanaria frequentant, etiam persoluto pretio, gravissimos sibi comparare atque emere videntur morbos; simulque corpus genuina vi spirituumque vigore, & crumenas ære suo à fœdissimis meretricibus emungi sinunt, cor-

poriſque vitia ex turpiſſimo animi vitio ſibi conciliari.

Quod ipſe ſui Amor Fornicationis Uſum diſſuaſerit.

Huc uſque de Incommodis quæ proli, de injuriis perſonæ corruptæ; de conturbatione reipub. & diſcordiis ex Fornicatione oriundis, diſſeruimus: Jam igitur diſpiciamus quis revera homini, qui libidini, hac in re indulget, promiſcui hujuſmodi coitus fructus, quis felicitatis proventus, cum ratione ſperari poterit.

Quod inde augeatur carnis concupiſcentia.

Primum, quod ſibi inde luxurioſi pollicentur, eſt, fore ſcil. ut ex frequenti hoc coitu juveniles tollantur atque extinguantur ad Venerem ardores; importuna inde intercidat carnis concupiſcentia. Quantum autem hac ſpe fallantur ipſi luxurioſi conſulendi ſunt. Dicunt ſane, quoties libere loqui volunt (quod tamen utplurimum ſerò poſt decoctam ſibi rem familiarem fatentur) in cælibatu ipſo, conſtanti adhuc (conjugii & mortificationis remedia jam taceo) virginitatis Zonâ, in ſumma, ab omni voluntaria immunditie, puritate, fallere hanc libidinem aut frænare, atque œſtros hoſce & commotiones in iſta vitæ conditione facilius, quam ex crebris fornicationis actibus, ſe ſedare poſſe. Cujus ſatis admirandi, ut videtur, Phænomeni, hæc fortaſſis haud ineptè cauſa aſſignari poterit, Quod licet Natura ipſa in adultis aliqualem concitet libidinem, non tantam tamen, quin ut ex Veneris uſu fiat auctior. Sicut enim ignoti nulla eſt cupido, ita ſecundum gradum & menſurâ Notitiæ, deſiderii rei alicujus jucundæ incrementum fit; quoque magis cognoſcitur & ſenſum ferit quod dulce, voluptuarium & ſecundum naturam eſt, eo magis concupiſci ſolet: Clariores autem ſunt Notitiæ quæ à ſenſu & experientia phantaſiæ imprimuntur, præſertim cum Naturalibus indiciis inſuper

ſunt

ſunt conjunctæ, quã quæ per conceptus ſolummodo à Naturâ hauſtos, aut neſcio quas comparationes in animo ſunt efformatæ. Quæcunque autem cauſa eſt, communi certe ſuffragio confirmatur hæc ſententia, Mancipium concupiſcentiæ fãctum eſſe quiſquis ſemel meretricis illecebris & incontinentiæ ſuæ ſuccubuit. Meretrix enim & Lupanar Orco comparantur, ad quem facilis eſt & proclivis deſcenſus.

Sed revocare gradus, ſuperaſque evadere ad auras
Hic labor, hoc opus eſt.

Atque hoc ipſo argumento atque ænigmate ſapientiſſimus utebatur, ex antiquo, Rex; ut filio ſapiẽtiæ, adverſus molles ſermones, verba butyracea, & leves hujuſmodi Thaidum blanditias ceu Sirenum cantilenas, aures obthuraret. *Conſilium*, inquit, *cuſtodiet te, & Prudentia ſervabit Te: ne à meretrice ſeu muliere extranea ſis irretitus, quæ reliquit Ducem pubertatis ſuæ* διδασκαλίαν νεότητος ut Græca verſio (illud autem אלוף נעוריה quiſquis Cebetis Philoſophiam amaverit Doctrinam à Vitæ Genio acceptam tranſtulerit) *& pacti Dei ſui eſt oblita, In ipſa mortis Fovea* (ut interpretatur Targum) *domus ejus & ad Rephaim* manes ſcil. infernos, *ejus* fertur *orbita, Omnes qui ad eam ingrediuntur nunquam inde revertent, nec ſurſum rurſus ad ſemitas Vitæ poſſint aſcendere.* Prov. 8. 2. ad finem. Imo ſi Maimonidem audiamus, tam medicæ artis quam Theologiæ ſuæ, & ſapientiæ in legibus Judaicis ſitæ, peritiſſimum, magis concitatur ex fornicatione & incontinentia libido quam ex Veneris legitimæ in Nuptis uſu. *Nunquam enim* inquit, *tam vehementer accenditur homo ad corpus illud cui eſt aſſuetus, ſicut accenditur ad corpora nova formis & proprietatibus diſcrepantia.* More Nevoch. part. 3. c. 49. adeo ut hominis inconſiderati & excordis ſit, ardores ſuos iſto velle ex-

tinguere remedio, cujus usu contrarium prorsus eveniet, magisque furenter exardescent.

Quod si desideria humana & cupidines expleri debeant, ea ratione tentandum est iis satisfacere, qua omnibus, quæ naturales sunt, aut saltem pluribus satisfiat. Verum Hominibus communiter non tantum, naturale prolificationis est, sed & Certæ prolis desiderium. Utrique per nuptias satisfit; Lupanaria, autem Metretices, atque artes fornicariæ omnem prorsus tollunt distinctam, per multiplices seminum commistiones, prolis certitudinem, imo quamcunque prolis generationem (ut superius monui) quantum possunt, impediunt. Qui autem dolores atque inquietudines propter certæ prolis defectum sæpius hominibus exoriri solent, supra disseruimus. Imo tam crebræ sunt in prostibulis ganeisq; fornicantium commistiones, tam frequentia Veneris exercitia ut etiamsi cupiant etiam non possint Mulieres gravidari, aut viri prolem generare, idque propter nimiam seminis aquositatem à continuo coitu conciliatam; Vetus est verbum πολυγαμία ποιεῖ ἀτεκνίαν id est frequens nimis Veneris usus (sive in multiplicatis conjugiis sive extra conjugia sit, nihil interest) ne proles nascatur impedit. Hoc igitur ipsum tam ad polygamiam contrahentes, quam ad fornices frequentantes extendi potest, qui quamvis Uxores sibi multiplicent εὐτεκνία & πολυτεκνία quæ partes felicitatis ab *Aristotile* censentur ea ipsa ratione utplurimum destituuntur. Grande illud exemplum πολυγαμίας *Solomon.* Vnicum tantum gnatum ex tanta Uxorum copia potiebatur qui ipsi in Regno succederet, adeoque constabit omnem hujusmodi nimium Veneris usum sive cum meretricibus sive cum conjugum multitudine, consuetudo sit Naturæ, de prole faciendâ, instituto plurimum adversari.

Prolis etiam certitudo tollatur.

Rhet. lib. 1. cap. 5.

Altera

Altera in Regnis ubi Nuptiæ in uſu ſunt, ex ſui amore ratio eſt cur à fornicationis uſu puberes abſtinere debeant. Quod ex incontinentia hoc minuatur ubique ſiç delinquentis honor & æſtimatio. Non enim minus viro corrumpenti quam mulieri corruptæ nuptiarum dignitati ſuæ congruentium minuitur ſpes. Haud facile enim quis in eo (uxorato licet) ſperaverit futuram caſtitatem, & fœdera poſt conjugium rata qui in cælibatu prius vixit impudicus. *Et turpis fama contrahatur.*

Cum igitur, ut argumenta in compendium contraham, Ipſis fere ex Fornicatione Infantibus (reamantibus licet in parente Naturæ σπέρματος) Vitæ ſit periculum; Tot inde ſint prognatæ proli bonæ educationis & beatæ vitæ impedimenta; Infamia & dehoneſtatio perſonarum, quibus læſa eſt pudicitia, proſurgat; & tollatur iis, aut imminuatur ſaltem honeſtarum Nuptiarum ſpes; cum Duella noxiæque Contentiones, (quibus pax Reip. turbatur & homicidia non rara fiunt) ex fornicationis Vſu ſæpius oriãtur; cum non extinguatur inde ſed exſufletur potius atque accendatur carnalis in luxurioſis ardor & concupiſcentia, adeoque fere immedicabile malum fiat; cum humanæ Naturæ deſiderata prolis certitudo cum coitus promiſcui Vſu non conſiſtat; cum ex frequenti Lupanariorum coitu, ipſa prolificatio prorſus tollatur, turpis fama Maſculo etiam incontinenti & graviſſimi Corporis morbi inde contrahantur, & propagetur contagium; Nihil ſane publicæ Honeſtati & communi Commodo cõſultius eſſe poſſit, quam ut tam gravi pœnâ ſcortatio omnis interdicta ſit, ne omnino in repub. admittatur; atque adeo legis terror, ubi honeſtatis ſtudium minus prævalet, felicitatem publicam, in qua ſingularis cujuſque continetur Vtilitas, tueatur. *Summa ἀνομιῶν in Fornicatione reperta.*

Et quamvis poni fortaſſis caſus poſſit in quo tot in-

Juriæ, ἀνομίαι, damna atque incommoda ex fornicatione non ſemper promanent; cum autem poſſint contingere & plerunque accidant, (prætereo quod aliqua ſaltem, ſi non tot, incommoda ſemper adhærebunt) ratio eſt ut generaliter prohibeatur, ne per iſtas caſuum & diſtinctionum; ſubtilitates Vitium Reip. irrepat. Hoc cenſuit Aquinas 2a 2æ. Quæſt. 154. art. 2. cond. *Non obſtat*, inquit, *ſi quis fornicando aliquam, cognoſcens ſufficienter provideat proli de educatione. Quia id quod cadit ſub legis determinatione judicatur ſecundum id quod communiter accidit, & non ſecundum id, quod in aliquo caſu poteſt accidere.* Quæ D. *Thomæ* ſententia ut in divinis legibus certam habet, ita in humanis præcipue certiſſimam continet atque utiliſſimam veritatem. Non requiri ſcil, Omnem legis apicem in omni poſsibili circumſtantia, neceſſitatem habere naturalem ſed abunde ei ſufficere, eamque rationi conſentaneam eſſe ſi plerunque & maxima ex parte commodum inde emergat, injuriæ protelentur, & nulla interim inſequantur incommoda; aut ſi quæ inſequantur, minora tamen ſint, quam contraria ſunt quæ inde percipimus commoda. His enim in rebus pro conciliorum arbitratu, leges ab hominibus & pactiones fiunt, quibus ſubditi omnes ſimiliter obedire & propter communem Utilitatem & propter Deum, qui ad communem Vtilitatem promovendam nos obſtrinxit, obligamur.

Verum ipſe Deus, Qui, quid humani generis interſit, quid tranquillitati rerum maxime conducat, quid Indigentium neceſsitatibus optimè ſubveniat, quid corporis ſanitatem certisſime conſervet, quid humanæ Naturæ deſideriis plenisſime ſatisfaciat, ſemper habuit perſpectiſſimum, pro bonitate & clementia ſua hanc quæſtionem in medio relinqui ulterius non permiſit;

ſed

ſed fornicatione, quam perſpexit Chriſtianis ſuis aliter damnoſam fore & nocituram, ſub ſeveris gehennalis pœnæ interminationibus, per Chriſtum ipſum & Apoſtolos ipſius legatos aperte interdixit, & juſtum Matrimonium in juſtitia & honeſtate coire volentibus conſuluit & præcepit. Ei ſit Gloria & adoratio in ſæculum; Sane quo magis divinarum legum rationes contemplor eo magis adducor ut cum Rege pſalmiſta exclamem, *Omnium Perfectionum finem vidi, Tui autem*, Domine, *Mandati Perfectio ampla eſt nimis*, Pſal. 119.

CAP. IV.

De Stupro.

Art. 1. *De definitione Stupri.*

ANtiquo fere jure generaliori ſenſu, Stupri Vocabulo, uſi ſunt conſulti: eo enim notabant omnem coitum qui lege vetabatur, vocibuſque pluribus turpitudinem aliquam inhoneſti coitus ſignificantibus promiſcue ferme utebantur. Ita Modeſtinus, ff. de Verbor. ſign. 101. *Inter ſtuprum*, inquit, *& Adulterium, hoc intereſſe quidam putant, quod Adulterium in Nuptã, ſtuprum in Viduam comittatur; ſed lex Julia de Adulteriis hoc verbo promiſcue utitur.*

Stuprum ſpecialiter ſic dictum apud ICtos definitur *Vitium, Honeſtæ perſonæ, tum Virgini, tum cuíque aliî innuptæ per coitum illicitum, illatum*, l. 6. §. 1. l. Stuprum

prum ff. ad L. Juliam de Adult: l. 18. C. eod. Gædd. comment: ad l. inter ſtuprum 101. n. 6, 7, 9. de Verb: ſig.

Vel adhuc ſpecialius ſecundum Aquinatis & Scholæ doctrinam definiri poſſit. *Coitus illiciti genus quo actu Venereo Virgo defloratur ſub cura parentum exiſtens*, atque hoc ſenſu nec de corruptione Viduarum, nec de Uſu Concubinarum, nec de meretricum ſuppreſſione dicetur: Nam neque hæ ſub parentum poteſtate eſſe, nec φθορὰν ſive ſtuprationem admittere poſſe facile ſupponuntur. Aquin: 22ᵃ. q. 44. art. 6. Gregor: de Valent. tom. 3. diſp. 9. q 3. punct. 3 quibus non diſconvenit illud Gelaſii. *Stuprum proprie*, inquit, *eſt illicita defloratio, quando ſcil: non præcedente conjugali pactione, Utriuſque Voluntate, Virgo corrumpitur; patre injuriam ſtatim ad animum non revocante*, quæ poſtrema verba diſtinguunt ſtuprum à Fornicatione ſimplici cum Virgine commiſſa, quia ſub patris poteſtate ſupponitur Stuprata, & à Raptu diſcernunt, quod propter corruptionem Virginis nec ei ipſi nec Parenti inferatur vis: videatur text: *ca: illa lex* 36. *q.* 1.

Art. 2. *De pœnis Stupro irrogatis.*

In Jure Ebræorum Judiciali circa pœnam Stupri ſic in θεοκρατία reſcripſit legiſlator, *Deut. c. 22. v. 28. Si invenerit Vir puellam Virginem, quæ non habet ſponſum & concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit; dabit qui dormivit cum illa patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti & habebit eam Uxorem, quia humiliavit eam, & ſi pater illam ei dare noluerit, dotabit: id eſt pecuniam pendet prout eſt dos Virginum*, Exod. 22. 16, 17.

In

In jure Civili, ut tradit Imperator Inſt: de publ: Judiciis, lib. 4. t. 18. §. 4. *Lege Julia de Adulteriis coercendis, ſtupri flagitium punitur, cum quis ſine vi vel Virginem vel Viduam honeſte viventem ſtupraverit. Pœnam autem eadem Lex irrogat ſtupratoribus, ſi honeſti ſint, publicationem partis dimidiæ bonorum: ſi humiles, corporis coercitionem cum relegatione.* Atque ſic punitur ex lege Julia: humilior ſcil: fuſtigatur & in exilium mittitur, honeſtior partis bonorum publicatione & relegatione ad certum tempus punitur. Aliter tamen Veteri fiebat jure, ſtupri quippe perfecti, pœna erat capitalis. Exertiſſima enim eſt Pauli Lex ff. de extraordinariis criminibus, l. 1. §. 2. *Qui puero ſtuprum perſuaſerit, mulierem puellamve interpellaverit, quidve impudicitiæ gratiâ fecerit, perfecto flagitio puniturcapite, imperfecto in Inſulam deportatur: corrupti comites ſummo ſupplicio adficiuntur.* Videatur Alciat: 20. l. tranſigere 18. C. de tranſ: Menoch: 5. de arbitrar. 288.

In Eccleſiaſtico autem jure ad hoc delictum præcavendum & damnum ex hac injuria datum reſarciendum in Legibus ſtatim à reformatione Eccleſiæ ab viii deputatis Regis Edoardi conceptis, cap. 3. Tit. de Matrim, hæc cauta reperimus: *Eos ſcil: qui puellarum aut mulierum corporibus turpiſſime illudunt, & pudicitiæ theſaurum detrahunt ab Eccleſiâ præcipimus Excommunicationis telo exturbari: Nec ullum ad eas reditum eſſe, niſi velint illas Uxores ducere quibus prius abutebantur ut ſcortis: Verum ſi hoc forte fieri non poteſt, Judices illorum bona agnoſcent, & ex eorum diligenti conſideratione, tertiam partem ad mulieres ſevocabunt, quæ libidine ſunt illorum inquinatæ; Quod ſi bona partitione hanc non ferant, tamen ad prolem ſuis impenſis ſuſtentandam damnabuntur. Et præterea tantas*

ſibi

ſibi pœnas impoſitas habebunt, quantas Judex Eccleſiaſticus ad Eccleſiæ tollendam offenſionem ſatis eſſe putabit, ſi divulgatum eorum crimen fuerit. Atque ſane etiamſi fixa neque ſit, nec reputetur legum iſtarum autoritas, Judices tamen, in cauſis ex eorum arbitrio determinandis, tantorum virorum judicia plerunque non contemnenda opinantur; quæ enim in Jure Canonico ſana ſunt eo transferre anniſi ſunt qui Regis erant Legibus reformandis deputati Commiſſarii. Atque hæc ipſa Conſtitutio magis verborum formulâ quam ipſa re à Juris Canonici ſanctione videtur differre: In quâ *Inſt: Juris Can: à Lancelloto editis, Tit: de Adul: 8. v. quod ſi quis*, ſic ſtatuitur. *Quod ſi quis ſtuprum admiſerit & cum muliere honeſte vivente rem habuerit, ſtuprator Pœnitentiæ ſubditus pecuniariâ etiã pœna coercendus erit. Si Virginem defloraverit, dotata Virgine, eandem patre conſentiente habebit Uxorem, ſi vero pater Virginis dare noluerit, aut ſtuprator eam Uxorem habere legibus impediatur, reddet pecuniam juxta modum dotis quam Virgines accipere conſueverunt. Quod ſi conſentiente Patre ſtuprator ipſe corruptam Virginem in Uxorem ducere renuerit corporaliter caſtigatus excommunicatuſque in Monaſterium detrudetur:* hanc intruſionem evitare poteſt dotis conſtitutione ſecundum *Inn:* licet non vitetur pœna corporalis & Excommunicatio ut notat *Joh: Baptiſta Bartholinus* in locum.

Art. 3. *De merito Stupri & illius prohibiti rationibus.*

Stuprium gravius ab omnibus delictum æſtimatur quam ſimplex Fornicatio, & proinde poſtquam jam Fornicationem inhoneſtam concluſimus, argumento à majore ad minus derivato, facile concludetur, prohibiti

biti etiam Stupri juſtiſſimam eſſe cauſam. Noxæ enim omnes, damna, detrimenta illata innocentibus, placitorum naturæ violationes, omneſque ἀνομίαι in Stupro inſignius & notabilius quam in ſimplici Fornicatione eminere, atq; malitiæ ſuæ pravitate, antecellere videntur.

Primo, quod ad prolem attinet, quamvis ſtuprum paſſæ, vitæ reputentur ut plurimum honeſtioris, quam quæ quæſtuariæ ſunt, & crebras exercent Fornicationes, meretrices; ad infanticidia tamen non minora habent (in Regnis præſertim ubi nulla licita eſt abſq; nuptiis conjunctio) inde incitamenta. Quo enim chariùs famam habent, eo magis adiguntur ut deflorationem ſuam & amiſſam virginitatem celare ſtudeant; Via autem quà expeditius læſæ pudicitiæ publicatio & fama ſupprimi poſſit nulla potior eſt quam quæ per prolis internecionem publico ſilentio conſulit. Atque hinc fit quod ex ſui amore, ſui conſervationis ſtudio, in tetrum non tantum homicidii ſed & prolicidii facinus, quæ aliter ab iſta crudelitate abhorrerent, mulieres propenſæ ſint. Cætera autem nocumenta quod attinet, quæ vitam infantis non adimunt, ſed felicitati officiunt, par fermè eſt, ſtuprum & Fornicationem admittentium conditio. Ubi enim firmum, perpetuum & individuum non eſt conjugium, ibi vagus & poſt coitum aliud agens, aliud curans, alio migrans parens, futuri partus minus eſt ſollicitus; atque ita propter σοφίαν defectum Struthioni comparari poſſit, quæ Odium commune ideo incurrit quod Ova ſua in terra condat, expoſita ſcil: caſibus an ſoli fovenda an pedibus hominum & ferarum conterenda, parum curioſa, *Jobi* 29. 13.

Secundo non ſolum infanti damnum ex ſtupro poſſit accidere, ſed Virgini vitiatæ multo magis; cujus pudi-

pudicitiam quisquis sustulerit, pretiosissimũ deprædatus est corporis æstimium, singulare bonũ, quod semel deperit nulla arte redimendum. Accedit insuper ut irati parentis animadversionem severam vitiata sentiat; Quæ enim se turpiter corrumpi permisit, quæ famæ facturam fecit & sui ipsius æstimationem vilescere voluit, idque sine consilio, & contra parentis voluntatem offensam ejus justissime incurrit atque Ingratitudinis apud omnes peragitur rea. Atque hæc tam communi hominum & gentium consensu, quam Juris Civilis cautione justissimæ exhæredationis censetur causa, ut in Novellis constitutionibus videre est.

Cæterum de noxa virgini etiam absque respectu ad patris iram sic Valentia disserit Tom. 3. disp. 9. qu. 3. punc. 3. *Virgo* inquit *corrupta minus apta redditur ad matrimonium saltem sine magno incommodo contrahendum. Siquidem corrupta, aut non, facile invenit maritum, aut si invenit & matrimonium init facile incurrit mariti odium & alienationem eo nomine quod ab alio corrupta fuit.* V. Supra. De Fornicatione Art. 3. arg. 2.

Tertio sed neque in vitiata ipsâ & nascendo partu damnum à stupro emanans (atque proinde injuria) terminatur; verum & in corruptæ parentes luctuose exundat, propter hoc enim filiæ infortunium vehementer affici & graviter condolere parentes est necesse: prolem enim suam, ex connato sibi instinctu ex στοργαῖς φυσικαῖς nequeunt non tanquam carissimum & sibi ipsi pretiosissimum thesaurum circumplecti. Omne quod senes amant, volunt, cupiunt, eo referunt, Omne quod dolent, metuunt, fugiunt, à prole est profectum, in prolem terminatur. Si quid, eorum causa, Spei aut Votis evenerit contrarium, *hinc Lachrimæ*, hinc Terentianum Heautontimorumenon induit parens, aut tanquam

tanquam Vetus Iſraelitarum pater queritur ſenectam ſuam ad pulverem ſepulcri, præ triſtitia, ob infelicitatem prolis, eſſe deductam Gen. 42. ult.

Quisquis igitur aut corruperit aut corrumpendam dederit perſonam in qua jus habet & in quam omnes ſuos amores & deſideria locavit parens, minori injuria privatum ejus ærarium ſpoliaverit aut ædes incenderit. Ad alia enim prædia diverti poſſit diſiderium; à prole ad alienos haud facile convertetur: & quicunque adoleſcentulas, imperitas rerum, eductas libere in fraudem illexerint, amantes lactaverint, & vana ſpe deduxerint donec meretricios amores abſque parentum conſenſu turpiſſime conglutinaverint, atque ad hæc perficienda Forma ſua, aut Ingenio, aut alia quacunque humana facultate aut potentia abuſi fuerint, minori ſane, in parentes ſaltem injuria, vi & armis devictas eaſdem conſtrupaverint. Æquum igitur eſt ut delicti gravitati par pœna ſtatuatur. *Si enim* (ut reſcribit Imp. C. de raptu Virg.) *Viri metu & atrocitate pœnæ ab hujuſmodi facinore ſe temperaverint, Nulli mulieri ſive volenti ſive nolenti peccandi locus relinquetur. Quia hoc ipſum velle mulierum ab inſidiis nequiſſimi hominis inducitur: niſi enim eam ſollicitaverit, niſi odioſis artibus circumvenerit non faciet eam velle in tantum dedecus ſe prodere,*

Infanda autem prolis erga parentem hac in parte peccantis eſt Impietas. De Ingratitudine dicit Pratejus. *Cætera quidem delicta adverſus proximum male committuntur, ſed fortaſſis nec bene nec male meritum; Ingratus autem contemnit eum à quo beneficiis eſt affectus. Si quæ igitur Actio jure propoſita eſt unquam, certe Actionem Ingrati juſtiſſimâ ratione introductam eſſe fateri oportet.* Dico autem ego, ſiqua eſt Ingratitudo quæ Legibus coerceri meruit Filiorum in Parentes præcipue

præcipue esse Vindicandam. Hi enim erga prolem suam quasi ἐπίγειοι sunt & ἐμφανεῖς θεοὶ μιμούμενοι ἃ ἀγέννητον ἐν τῷ ζωοποιεῖν, καὶ τῷ μὴ διαλείπειν εὐποιοῦν. *Terrestres & conspicui Dei quod ingenitum Deum eo imitentur quod vitam dent, & quod in beneficentiâ nunquam deficiant.* Neque sane citandi sunt autores ut comprobetur quot modis prolem suam demerentur parentes, consuli tamen pro lubitu possit hoc in re Hypothesis. Eth. cap. 5. Num. 9. §. 1. Sed ex communi vita quantum iis generationis, educationis, & perpetui affectus causa debetur, clarissime effulget. Nihil igitur sceleratius (ne leviori utar delicti appellatione) nihil flagitiosius admitti possit, quam ut persona in illius dolorem & infelicitatem conspiret, cui Honorem & Obsequium præstare & cujus felicitati procurandæ & desideriis satisfaciendo instudere debebat,

Quod ex Jure Civili Justiæ Nuptiæ absque Parentum consensu non coalescant.

Et sane propter hunc parentum in prolem affectum, illorum Jus & gnatorum in parentes Obligatio orta est unde Jure civili Romanorum non solum cautum est ne stupra fierent, sed etiã ne Nuptiæ aut legitima Conjugia possint absque parentum consensu contrahi, adeo ut pro substantia Nuptiarum introductum sit, patris quoq; consensũ (cujus in potestate est filius filiave) adhibendum aut præmittendum esse. Atque huic veritati unanimi suffragio adstipulantur Leges. *Nuptiæ* inquit Paulus, *consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est qui coeunt & quorum in potestate sunt.* ff. de riti Nupt. l. 2. & ff. eodem l. 18. *Nuptiæ* inquit Julianus, *inter eas dem personas nisi volentibus parentibus renovatæ justæ non habentur.* Et Instit. Lib. 1. Tit. x. de Nuptiis sic Imperator *Justas nuptias inter se Cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt, Masculi quidem puberes, Fœminæ autem viripotentes, sive patres familiarum sint sive filii familiarum;*

dum

dum tamen, ſi filii familiarum ſint, conſenſum habeant parentum quorum in poteſtate ſunt. Nam hoc fieri deberi & Civilis & Naturalis ratio ſuadet. Imo *neque miles*, ut ſcribit Papinianus ff. de ritu Nupt. l. 35. *ſi filius familias ſit, ſine parentis voluntate matrimonium contrahit.* Quippe ut dicit Ulpianus, ff. de Obſequiis parentibus & Patronis præſtandis. *Etiam militibus pietatis ratio in Parentes conſtare debet: quare ſi filius miles in patrem aliqua commiſit, pro modo delicti puniendus eſt.* l. 1. adde l. 9. liberto ff. eodem. Et reſcripſeruut Imppp. Valentinianus Valens & Gratianus *Viduas* ipſas *intra annum viceſimum quintum degentes, etiamſi emancipationis libertate gaudeant, in ſecundas nuptias abſque patris conſenſu non poſſe convenire.* Cod. de Nuptiis l. 18. Mille etiam aliunde citari poſſint leges parentum ad approbandas filiorum nuptias autoritatem confirmantes. Ita l. Paulus ff. de ſtatu hominum. l. Generali Mandato ff. de ritu Nupt. l. ſi ut proponis C. de Nuptiis *&c.* Scribit etiam Arnoldus Ferronus in Conſuet. Burdegal. ad Tit. 4. de Dote & §. 3. præter edicti, hac in re, generalis ſanctionem, Senatus Burdegalenſis conſulto uſque adeo matrimonia abſque parentum voluntate contracta prohibita coercitaque fuiſſe, ut capitalis pœna in ea contrahentes locum habeat: Et Presbyteros eorum miniſtros & propbanos Judices damnari poſſe, eos quoque qui filium alterius ad Nuptias impuliſſent ſine patris conſenſu. Jure autem Civili Pœna hujuſmodi Matrimoniorum eſt ut neque Vir, neque Vxor, neque Nuptiæ, neque Dos intelligatur & qui liberi naſcentur inter ſpurios numerentur §. *penult. Inſt de Nupt.* Vt eorum injuſtæ Nuptiæ dicantur, injuſti ipſi conjuges, injuſti liberi: Nuptiæ denique non conſiſtant *l. 2. ff. de ritu Nupt* imo ne Nuptiarum quidem nomine appellentur *l. dotis*, 68. *de*

Jure Dot. adeo ut nepos Avo vivente conceptus, quamvis eodem mortuo nascatur, justus tamen neque patri filius neque Avo nepos dicatur, Avus denique nepotem illum suum agnoscere non leneatur l. *Paulus* 11. ff. *de Statu hom.* neque distinguitur utrum Mares liberi an Fœminæ sint l. *in Conjunctione* 20. C. *de Nupt* atque idcirco nec Dos in ejusmodi conjunctionibus locum habebit, nec Dotis promissio Obligationem parit, quoniam Vbi nec Nuptiæ ibi nec dos est l. 3. ff. *de jure dotium.* Idque adeo verum est ut si pater apud hostes sit, vel ubi sit ignoretur, tamen per triennium sit expectandus, (quanquam si tale matrimonium quod pater repudiaturus non esset, contrahatur, nuptiæ comprobentur l. *si nepos* 9. §. 1. & ll. duabus seqq. ff. *de ritu Nupt. Hotomannus Quæst. Illust.* 9. Donellus autem tres interponit juste exceptiones Ait enim consensum parentum necessario adhibendum esse 1. Nisi parens Furiosus aut mente captus sit vel 2. Ita absit ut impossibile sit parentem consensum suum adhibere 3. Vel præsens Nuptiis filii sine causâ contradicat. Tractat etiam de pœnis in hos qui nuptias absque parentum consensu ineundas suaserint Alexander *Consil* 93. 1. Solonis lege refert Plutarchus eos qui verbis pellexissent Adolescentulas gravius punitos. Vt igitur finem huic argumento tandem imponam; statuendum videtur non solum verissimum esse Plautinum illud in Perside Act. 3. scen. 1.

Virgo atque mulier nulla erit quin sit mala
Quæ præter sapiet quam placet parentibus.

Sed profligati ingenii esse indicium Stupro suo contra voluntatem eorum in quorum potestate est, cum tanta sibiipsi inde proveniant incommoda, consentire: Hæc sollicitare & perpetrare velle, animum injuriis sane omnifariis, deditum in fœtandam imprimis atque educan-

educandam prolem in mulierem corruptam, in parentes, atque integram corruptæ (quam totam distrahit & divexat) familiam, damnoso eventu, redundantibus.

Ipsa autem εὐλάβεια & felicitatis temporalis Amor (quod carissimum Nobis virtutis principium Deus insevit) hujusmodi Stupra facile cuiquam dissuaserit, Fama enim cito se laborare & æstimationem minui sibi sentiet, Carnis tamen concupiscentiam cui forsan restinguendæ æstuat non magis quã ex commissa Fornicatione (quam hoc in re nihil proficere ex Solomonis aliorum testimoniis supra ostendi) supprimi posse aut coerceri.

Cap. de Forn. part. 4. p. 52.

CAP. V.

De Raptu.

Art. 1. *De Definitione Raptus.*

RAptum recte definiri existimo, *Violentam honestæ mulieris abductionẽ libidinis explendæ causa: Violentam* dico; quia si citra violentiam Virgo corrumpatur sub patris potestate existens Stuprũ solummodo, si Nupta, Adulterium committitur: *honestam* deinde mulierem Raptus esse subjectum. In meretrice enim innuptâ nullum esse Raptum omnes consentiunt Doctores; cum enim ea corruptissima jam supponatur, lassari impudica possit, corrumpi amplius non potest. Quique per vim hujusmodi lupam compressit turpitudine, qua

An Meretrix raptus subjectum esse possit.

pretio persoluto ex emptione flagitiose frui poterat, eâdem, vi factâ, aliquanto saltem flagitiosius. Jura tamen has distinctiones & differentias ubi tam vilis personæ res agitur non pensi facit. Turpior enim videtur meretrix quam ut legum consideratione digna sit visa, ut ait *Constant. l. qui adulterium, Cod. de adulteris*, vel ut verbis *Juvenalis* utar —*Dira & fœdior omni*

Crimine persona est — In meretrice Nuptâ non plane consentiunt Doctores. Si enim quispiam rapuerit mulierem nuptam quæ prius permiserat se osculari, tangi, & comprimi; habet locum pœna Raptus ex mente *Pauli Castrensis*. *Accursius* contra, & post eum *Cynus* Adulterium quidem committi ajunt in muliere nuptâ, atque sub hac specie punibile esse, etsi ea inhoneste vivat, Raptum autem non admitti; cum is non nisi honestarum personarum sit. Addit *Angelus* neque cum turpiter vivente commissum adulterium punibile esse ex parte viri adulterantis, puniendum tamen ex parte Adulteræ.

Art. 2. *De pœna in Raptores à lege irrogatis.*

Lex erat Athenis Draconi à nonnullis, ab aliis Soloni legislatori attributa *QUÆ VIM PASSA FUERIT EJUS QUI VIM INTULIT VEL NUPTIAS VEL MORTEM OPTATO*, verum Draconis severitatem illa parum sapit Lex: Hoc ipsa absque omni legum cautela mulieris suaserit Natura, ut vel illecebris Viri, voluptatis studio, cedat; aut injuriam sibi illatam vindicet: ut Animi sui appetitui aut irascibili aut concupiscibili se totam dedat. Verum Castitati morum & rerum Tranquillitati tuendæ natæ Romanæ leges severius & districtius in Raptores constituerunt

Seneca declam 2. Hermog. 3. Rhet. Quintilianus in Rapore convicto.

ſtituerunt judicium. De Raptûs pœna vetus eſt in Jure Civili Marciani reſponſum. *Qui vacantem mulierem rapuit, vel nuptam ultimo ſupplicio punitur: & ſi pater injuriam ſuam precibus exoratus remiſerit, tamen extraneus quinquennii præſcriptione reum poſtulare poterit; cum Raptus crimen Juliæ de Adulteriis teſtatem excedat.* ff. ad l. Juliam de vi publ. l. 5. Qui cætu. §. fin. Sed ampla eſt, eaque aurea ſane Juſtiniani Conſtitutio Cod. de raptu virginum. l. Vnica. qua huic Delicto impoſita vindicta plene recenſetur —— *Sancimus*, ſic reſcribit Imperator, *per hanc generalem conſtitutionem, ut hi qui hujuſmodi crimen commiſerint, & qui eis auxilium invaſionis tempore præbuerint, ubi inventi fuerint in ipſa rapina & adhuc flagranti crimine comprehenſi, & à Parentibus virginum vel ingenuarum, vel viduarum vel quarumlibet fœminarum, aut earum Conſanguineis, aut à Tutoribus, vel Curatoribus, vel Patronis vel Dominis interficiantur. Quæ multo magis contra eos obtinere ſancimus qui nuptas mulieres auſi ſunt rapere, quia duplici tenentur crimine, tam Adulterii ſcil. quam Rapinæ: & oportet adulterii Crimen ex hac adjectione acerbius puniri. Quibus connumeramus & eam qui ſaltem ſponſam ſuam per vim rapere auſus fuerit.* —— *Etſi in Ingenuam perſonam tale facinus perpetretur, etiam omnes res mobiles, ſeu etiam immobiles, & ſe moventes tam Raptorum, quam eorum Sodalium; Comitum & ſequentium, qui eis auxilium præbuerint ad Dominium raptarum mulierum, liberarum transferantur.* —— *Nec ſit facultas raptæ, Raptorem ſuum ſibi maritum expoſcere. Sed cui parentes voluerint (excepto Raptore) eam legitimo copulent Matrimonio. Quoniam nullo modo nulloque tempore datur à noſtra Serenitate licentia eis conſentire, qui hoſtili more, in noſtra Repub. Matrimonia ſtudent ſibi conjungere.* Adeo ut

pœna Raptus sit Mors, Bonorum amissio, & Matrimonii inter Raptorem & Raptam prohibitio. Videantur etiam l. 54. Raptores. Cod de Episcopis & Cler. Novell 124. cap. 43. quæ leges potius ad Sanctimonialium raptum spectant: adde Constit. Carolin. 118.

Ex jure Canonico juris Civilis Severitas aliquatenus temperatur. *Qui enim sibi desponsatam, vel parentibus reclamantibus, abduxerit, in crimen raptus & pœnas* jure Pontificio *minime incidet. Rapta quoque puella legitime cum raptore matrimonium contrahet, si prior dissensio in consensum transeat, & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere* V. decretal. Gregorii lib. 5. tit. 17. cap. 6. & 7. & Bartholini Inst. Iuris Can. lib. 4. Tit. 8. et. 36. q. 2. c. denique Consensus autem hic constare debet cum Rapta à Raptore separata in loco tuto & libero constituitur. V. Concil. Trident. Sess. 24. cap. 6. in decretis reformat. In legibus Boiariorum cap. 11. tit. 6. 7. ita constituitur *Si quis Virginem rapuerit contra ipsius voluntatem & parentum ejus, cum duodecim solidis componat, & alios quadraginta cogatur Fisco dare. Si autem viduam rapuerit qua coacta ex tecto egreditur, propter Orphanorum & propriarum rerum penuriam cum* 80. *solidis componat, &* 40. *cogatur Fisco dare.* In legibus Salicis Tit 14. *de Ingen. homin. qui mulieres ingenuas rapiunt*, Raptus mulieris pœna pecuniaria punitur; majori, si rapitur alteri sponsata. Alia tamen lege, §. 6. ejusdem Tit. *Si quis puer Regis vel Lidus Ingenuam fœminam traxerit, de vita componere* jubetur. Et §. 7. Tit. eod. *Si Ingenua aliqua Fœmina quemcunque de illis sponte secuta fuerit Ingenuitatem amittit.* Et communiter in sequiori ætate a legum Civilium severitate, distracto jam Imperio Romano, aliquatenus est recessum: Vltimumque

que ſupplicium & pœnæ corporales in pluribus Curiis, ſicut in cæteris etiam factum eſt Incontinentiæ ſpeciebus, in pecuniarias, aut, quod eodem recidit, in arbitrarias ſunt converſæ.

In lege Ebræorum judiciali, Raptus hujuſmodi erat judicium.

Deut. 20. verſ. 23. &c. Si puella virgo deſponſata eſt viro, quam inveniens quis in civitate concubuerit cum ea, omnino, productis eis ambobus ad portam ipſam civitatis, obruetis eos lapidibus, ita ut moriantur; Puellam, propterea quod non clamavit in civitate, (inde enim judicatur raptum non ſubeſſe;) *Virum autem, propterea quòd compreſſit uxorem proximi ſui; ſic ſuſtuleritis malum è medio veſtri. Sed ſi in agro invenerit vir ille Puellam deſponſatam & vim faciens ei vir ille concubuerit cum illa, tunc morietur vir ille qui concubuerit cum illa, ſolus: Puellæ autem ne facito quicquam; non eſt in puella peccatum capitale. Nam quemadmodum ſurgit quis in proximum ſuum, & occidens adimit ei vitam, ſic ſe habet hæc res: cum in agro invenerit eam, clamaverit puella deſponſata, nec fuerit, qui ſervaret eam.*

In noſtro etiam Angliæ regno Raptus judicium eſt Capitale, ídque ex Statuto 2 de Weſtminſter, cap. 34. anno 13. Edw: 1. edito, quod Statutum, ex recentioribus etiam eâdem de re factis & Jureconſultorum conſenſu, uſuque curiarum, multipliciter eſt confirmatum.

Art. 3. *Rationes prohibiti Raptus.*

Paucis hunc Articulum expediam, quod Rationes prohibiti Raptus graves eſſe, omnes conſentiant, quodque partim etiam ex ſuperiùs dictis poſſint colligi.

1. Fortassis enim hic, ut in superioribus exemplis, periculum de prole esse dici possit, idque à compressâ, propter infamiam amissæ pudicitiæ evitandam. Si enim exemplo Lucretiæ didicimus tantam esse læsæ pudicitiæ ignominiam, ut ob eam expiandam mortem sibi conscire Nobilissima elegerit Matrona, cur ob eam celandam alia Fœmina non inducatur, ut mortem proli consciret, non facile quis dixerit.

2. Quæ etiam de Stupro superiùs attexui, gravitatem delicti hujus aliquatenus illustrant. In Stupro enim admisso quicquid damni Virgini corruptæ propter honestatis amissum signaculum, & spes nuptiarum diminutas accidit, idem in Raptu contingit. Raptus enim includit Stuprum, adeo ut à multis definiatur *Suprum violentum*, seu *contra voluntatem personæ honestæ illatum*.

3. Nec minor in Parentes vitiatæ injuria admittitur, imò eò atrocior, quòd Fœminæ libido nullam obtulerit delinquendi ansam. Dixi suprà inter bona Parentum censeri liberos, qui si quoquo modo vilioris æstimii fiant, corruptum sibi æstimant parentes Thesaurum præ omnibus aliis opibus & copiis pretiosissimum.

4. Hæc autem circumstantia Raptum cæteris circa Venerē delictis malitia facit antecellere. Quia illa omnia cum volentibus committuntur, quibus inferri injuria, stricto juris sensu, non potest. Raptus autem quasi hostili more, per vim, in reclamantes & contranitentes fit. Adeò ut non mirum sit hanc majori pœnarum acerbitate, quam alias Incontinentiæ species legibus coërceri.

CAP. VI.

CAP. VI.

De Peccatis contra Naturam.

Art. 1. *Cujuſmodi ſunt peccata, quæ contra Naturam eſſe dicuntur, & quæ eorundem ſpecies.*

PEccatum, inquit Aquinas, *contra Naturam, ut ſpecies eſt Luxuriæ, in eo conſiſtit, quod quis Venereum actum exerceat tali aliquo modo pravo, qui per ſe repugnat humanæ generationi, quæ eſt alioqui Finis ejuſmodi actus.* Atque ut valdè differentibus modis poteſt hoc fieri, ita variæ ſunt hujus peccati ſpecies: nam ut docet D. Thomas q. 154. art. 11. & Cajetanus ibi, aliique communiter, *Quatuor potiſſimum modis id poteſt contingere. Primo per voluntariam pollutionem extra concubitum, quæ ſolet appellari Mollities quædam, ſeu Immunditia. Secundo per Beſtialitatem cum aliqua Beſtiâ. Tertio per Sodomiam, ut Maſculi cum Maſculo, vel Fœminæ cum Fœmina. Quarto per monſtroſum ſeu beſtialem concumbendi modum, ſive quoad Corporis partem, ſive aliter.* Valentia in 2am 2æ diſp. 9. q. 3. punct. 3. quæ omnia deſumpta videntur ex Aq. 22dæ loco citato. In poſtremâ autem iſtâ ſpecie turpiſſimas Tribadum Venerearum commiſtiones & Maſtupratorum pollutiones videtur innuere, quas dicere pudet, ſed videri poſſunt apud Anton. Gomeſium in l. 80. Tauri n. 14. & 34. Julium Clarum lib 5. recept. Sent. §. Fornicatio n. 29. Martialem item, & Juvenalem, qui ſæculorum ſuorum vitia, & occultè facta, palam dicere haud uſpiam erubuere.

† lib. VII Ep. 67 et 70.

Art. 2.

θ. Satyr. VI. p. m. 164 et 234. et alibi passim.

Art. 2. *De Pœnis in hujuſmodi peccata irrogatis.*

Præpoſteram libidinem maſculorum ultimo ſupplicio vindicant leges Civiles. *Item lex Julia de Adulteriis: de public: Judic:* Inſignis item lex eſt Cod. ad leg. Jul. de Adult: leg: 32. *Cum vir nubit, ut fœmina, viris paritura,* (ita enim legendum duxi) *quid cupiatur? ubi ſexus perdidit locum; ubi ſcelus id committitur, quod non proficit ſcire; ubi Venus mutatur in alteram formam; ubi amor quaritur, nec videtur; jubemus inſurgere leges, armari jura, gladio ultore, ut exquiſitis pœnis ſubdantur infames, qui ſunt vel futuri ſunt rei.* Et muliebria paſſus infamis eſt, niſi vi conſtupratus ſit: *d: l: cum vir, & l. 2. §, removet, de poſtul: lib. 3. tit. 1.* Majus certè hoc ſcelus Adulterio & Inceſtu. c. *adulterii. ca. flagitia, ca. uſus, c. offerebat 32. q. 7.*

Lex Divina dignos morte, qui hoc agunt, quive agentibus conſentiunt, judicat. *Ad Rom. c. 1. Levit. 20.* proſtatque Sodomorum terribile judicium, *Gen. c. 19.* Lex Athenienſium, *auctore Æſchine con. Timarch.* hæc erat. Siquis Athenienſis puerum ingenuum contumeliâ (ſcilicet Stupri) affecerit, qui eum puerum in poteſtate habet, reum deferat ad præfectos Prætorio, talionique ſe ſubſcribat. Qui ſi fuerit judicio damnatus, undecimviris tradatur, & eâ ipſâ die ultimo ſupplicio afficiatur: ſin autem pecuniaria pœna fuerit irrogata, undecim dierum ſpatio poſt judicium acceptum, illam inferat, vel carceribus teneatur. Et iterum, Si quis ex Athenienſibus ſe proſtituerit, ei non liceat ex novem magiſtratibus eſſe, ſacerdotio augurari, neque pro populo cauſam dicere; ſed nec alium quemvis magiſtratum gerat, ſive urbanum, ſive externum, ſorteve edictum, aut populi ſuffragio declaratum,

claratum, neque ad legationem aliquam mittatur, sententiámque non dicat, publica quoque sacra non ingrediatur, publicisque coronationibus coronam non gestet, neque intra cancellos in forum eat, quod siquis ea fecerit, is Stupri damnatus, gladio ultore puniatur.

Lex Valentiniani Theodosii & Arcadii *l: omnes 6. ad leg. Jul. de adult. lib. 8. C. Theod. tit. 7.* hoc flagitium præposteræ libidinis, flammis jubet vindicari. In exercitu C. Marii, propinquus ejus Imperatoris interfectus jure declaratus est, ab eo cui vim in pudicitia adferebat. *Plut in vita Marii. Cic. pro Milo: Val. Max. lib. 8. cap. 1.* M. Claudius Marcellus Ædilis Curulis C. Scantinio Capitolino Tribuno pleb. diem ad populum dixit, quod filium suum de Stupro appellasset, citatúsque Scantinius, uno teste, damnatus est: *Val. Max. eodem.* Meminit Juvenalis legis Scantiniæ, quæ in eos qui muliebria patiebantur, scripta erat, dum ait Juvenal. Satyr. 2.

Quod si vexari leges ac jura citari,
Ante omnes debet Scantinia.

In legibus terræ Anglicæ, & Senatus consultis, jubente Rege cum assensu Baronum, tam Spiritualium quàm Temporalium, & Plebis in Parliamento congregatæ, frequenter est statutum, omnem Buggeriam, sive crimen Bestialitatis sit, & cum Bruto admittatur, sive Sodomiæ, cùm Mares Maribus, aut Fœminæ Fœminis admiscentur, Feloniam debere judicari. (Felonia vox Feudistarum est à Gotthis, puto, & Langobardis introducta, quodlibet capitale facinus designans. v. *lib. Feud. 2. tit. 26. §, domino 23.*) atque hujusce sceleris quacunque ratione legitimâ convictos, morte damnari,

ri, & bonorum omnium, Felonum ritu, privari oportere, neque omnino ad commune Cleri privilegium debere admitti. Latum eſt imprimis hoc Statutum anno 25. Henrici 8. cap. 6. confirmatum dein anno 32. Henrici oct. cap. 3. & 2. Edoardi ſexti, cap. 29. abrogatum Anno 1. Mariæ Reginæ. Sed tandem Anno 5. Elizabethæ cap. 17. reſtitutum, & in perpetuum ſummâ Regni auctoritate confirmatum.

Art. 3. *Rationes, cur peccata hæc à Legibus tam Divinis quàm Humanis ſint prohibita.*

Anonymus aliquis Philoſophiæ Hobbianæ defenſor, vir doctus, ſatis nervoſè videtur de hac materia diſſerere. *Si*, inquit, *inſtituatur quæſtio de uſu Facultatum & Partium, is dicitur rectiſſimè Naturalis, qui nos ducit ad illum Finem, ad quem nos vitæ membrorumque & facultatum homini propriarum natura ducit. Ille autem uſus, non tantùm licitus, ſed etiam neceſſarius; qui ſi omittatur, iſtum Finem ſubvertit, aut ei repugnat: Ille autem uſus contra Naturam, qui ab illo fine removet: Is autem non neceſſarius, qui ſi ſuſpendatur, aut planè omittatur, nihil tamen contra naturalem finem fit.*

Peccata quæ ſpeciali ratione contra Naturam committi dicuntur, ideo peccata eſſe judicantur, quia in iis eſt deviatio ab illo Fine, ad quem propriè ille Appetitus nos ducit, & quem aſſequi animus ſtudet, ſi naturalis ſuæ directioni relinquatur. Nam primò appetitum illum voluptatis libidinoſæ à Natura homini inditum eſſe, non magis dubitari poteſt, quàm quod affectus Amoris, Spei, Iræ, Audaciæ, Conſtantiæ homini largitus ſit Deus. Quemadmodum autem ſingulis affectibus ſpeciale Objectum, & Finis à Deo aſſignatus eſt; quem immutare homo ſine prævaricatione non poteſt: ſic neque objectum appetitûs Venerei. Quis autem noſtrûm non videt, iſti

appetitui

appetitui legitimè ſatisfieri non poſſe, niſi in conjunctione cum compari & adjutrice muliere. Quemadmodum neque Amori, niſi in unione cum re amatâ: Iræ, niſi in propulſatione damni futuri, per debellationem rei, quæ nobis jam modò aliquod damnum intulit, & ne ſecundò inferatur, juſtus adeſt metus. Siquis itaque affectu iræ aliter utatur, contra iræ naturam agere præſumitur: qui itaque v. g. in rem inanimatam exeandeſcit, ille Iræ finem prætergreditur: Quia cauſa, quare homo cum ratione ad vindictam ferri oportet, in re vitâ animali deſtitutâ, non reperitur.

Cùm igitur appetitus Copulæ humani generis affectus, íſque naturalis ſit, illi neceſſariò certum Objectum & Finis ſuus aſſignandus eſt. Hoc autem Objectum Mulierem eſſe reſpectu Viri, & Virum reſpectu Mulieris ſtatim pleniùs dicemus. Finis autem proximus à natura deſignatus, ut omnes conſentiunt, eſt liberorum procreatio. Et quemadmodum Iræ Objectum eſt injuria, & Finis propulſatio damni, ita ut nemo Iræ aliud Objectum aut Finem conſtituere poſſit, niſi ſtatim à Naturæ inſtituto divertat, ſic neque appetitui libidinoſæ voluptatis, ſine violato Naturæ inſtituto, alium finem quàm Liberorum procreationem, aliúdque Objectum quàm Mulierem poteſt aſſignare. Teſtimonia & auctoritates ex ipſa Hypotheſi facilè transferre potero. Verum magis, quàm pudicum eſt illud Muſonii. *Quam*, inquit, *ob cauſam opifex hominis, primum quidem bipartito diviſit genus noſtrum, deinde Pudenda bina ei adjunxit, aliud Mari, aliud Fœminæ, dein cupiditatem vehementem utrique adjecit converſationis & conjunctionis cum altero, & ingens deſiderium mutuum utrique alterius concitavit, ut mas fœminam appeteret, fœmina marem? Nonne igitur ſit evidens, quod utrumque ſexum converſari jungique*

que voluerit, & communi operâ vitam instituere, seque mutuò juvare, & gignere simul & educare liberos, ut genus nostrum perpetuum esset. Mulonius in lib. an Philosophum impediant nuptiæ. Et de nuptiis Hierocl. *Ipsa natura sapientem ad nuptias instigat: non enim gregales nos solùm, sed etiam συζυγικους, i. e. ut bini ageremus, facit: & huic societati unum, communeque opus, liberorum procreationem, & vitæ stabilis conservationem proposuit.* Plura etiam ad hanc rem ex Hierocle de Nuptiis habet ibidem Stobæus. Et Cicero off. 1. *Communis,* inquit, *est omnium animantium conjunctionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum quæ procreata sunt.* Quisquis igitur appetitus à natura insitos, & membra sui corporis à fine illis instituto alio divertit, Conditoris sui voluntatem non pensi facit; & perinde absurdè agit, ac si quis ventriculo suo uti nolit ad cibos concoquendos, sed ut ad alium usum studeret divertere. Veneris enim esuriem (sic loqui liceat, tam Maribus quàm Fœminis (ut jam demonstravimus) eo fine insevit Natura, ut admonitio crebra fieret de actione istâ, & sollicitatio ad actionem, unde Proles nasceretur; quam quisquis eluserit, Naturam ipse suam, & Naturæ suæ Conditorem, eludere velle videtur.

2ª Ratio, cùr delicta hæc sanis omnibus legibus sint interdicta, est, quod, qui in peccato aliquo contra Naturam sibi indulget, novam sibi, & nimis importunam, eámque neque naturalem neque rationalem, procreat atque exsuscitat concupiscentiæ speciem. Voluptatem enim quandam, sicut in cibo & potu, ita & in carnali, ut loquuntur, copulatione (Naturâ illam implantante ne à Speciei propagatione cessatum foret, juxta Proverbium, Si saperet mundus, non consisteret diutius) videntur homines persentiscere. vo-

lup-

luptatem hanc imitari volunt, atque ei analogo aliquo, ſed ſpurio, notho, nec rationi congruo blandimento frui ſtudent qui contra Naturam peccant. Illecebras autem has dum experiuntur, hæc contingunt incommoda. 1. ut novus contra Naturam & Rationem exardeat calor. 2. ut prior ille & pridem moleſtus naturalis ardor intendatur. Ignoti enim nulla eſt cupido: & quo notius eſt quod voluptuarium eſt, eò magis eſt concupitum. Notior autem his technis atque impio artificio, per ſimilitudinem ipſius Naturalis Veneris, fit delectatio, cujus obſcuriores aliquantum erant naturaliter Ideæ. Deinde voluptas, ſi qua eſt ex ipſa Luxuriæ ſpecie quâ contra Naturam peccatur, ante admiſſum peccatum penitus erat ignota, ita ut per actum peccandi generetur notitia, atque ex notitia, importuna illa & perverſa Veneris præpoſteræ (cui omnes debent, ſapientes adverſari volunt) Concupiſcentia.

3. Nec contemnenda, prohibitæ hujus Veneris, ratio eſt, quod debilitent hi actus humanum corpus, atque illud emungant Spiritibus & vigore, unde Pallor in Ore, Macies in corpore. Semen enim à Medicis æſtimatur nobiliſſimum fermentum, & quaſi fons Spirituum generoſiorum, unde ſanguis inſpiratus grandius turgeſcit, efficitque, ut viri præclara audeant facinora, cùm, qui ſe hoc fermento emungi ſinunt, emaſculantur, animóque excidunt, ita ut in phraſi Homerica, Ἀχαιΐδες οὐκ ἔτ' Ἀχαιοὶ rectiſſimè nuncupentur.

Sunt etiam hujuſmodi delictorum gradus quidam & diſtinctionum rationes: ita quarundam circumſtantiarum ratione, cæteris omnibus gravius vitium eſt Beſtialitas, cùm ſcil. qnis præpoſterâ & abominandâ libidine Brutum aliquod animal inierit, aut ei ſe ſubiecerit.

jecerit. Tum enim præter memoratas ſupra ἀνομίας ex impiiſſimo coitu, Humanum dehoneſtatur genus, & Monſtrorum procreationi (quæ forma ſaltem Hominem mentiantur) occaſio flagitioſiſſimè ſubminiſtratur. Quâ in cauſâ ſeverè ſancivit Deus: *Quiſquis ſibi arrogaverit cubare cum jumento, omnino morte afficitor, jumentum ipſum quoque occiditote. Item mulier cùm acceſſerit ad ullum jumentum, ut incubet ipſi, occides mulierem & jumentum ipſum, omnino morte afficiuntor: cædis ipſorum cauſa eſt in ipſis.* Lev. 20. 15.16.

CAP. VII.

De Inceſtu & Gradibus prohibitis.

Art. 1. *Qui gradus in Matrimonio jure ſunt prohibiti.*

PAulus ff. de ritu nupt. l. 68. definitionem Inceſtûs non improbandam ſtatuiſſe videtur. *Jure gentium*, inquit, *is Inceſtum committit, qui ex gradu aſcendentium vel deſcendentium uxorem duxerit, qui vero ex latere eam duxerit quam vetatur, aut affinem quam impeditur.* Illud extra controverſiam ponit, in linea recta jure gentium nuptias non poſſe conſiſtere, de tranverſali ſeu collaterali queſtiones ad leges refert. Gaius ff. eodem l. 53. *Nuptiæ*, inquit, *conſiſtere non non poſſunt inter eas perſonas quæ in numero parentium liberorumve ſunt, ſive proximi, ſive ulterioris gradûs ſint,, uſque ad infinitum.*

Qui autem in linea tranſverſali Gradus in quoque

Jure

Jure diverſis temporibus erant interdicti operoſum nimis eſſet oſtendere. Jure Canonico conſanguineos & affines in ſeptimo Gradu & citeriori conjungi aliquando eſt vetitum: Atq; alicubi, pro diverſorum temporum & locorum ratione, aliquando ab eâ ſeveritate aliquatenus eſt receſſum. Major enim alii genti quàm alteri Papalis erat indulgentia. Civilis fermè ad Leviticam legem accedit: Gradus enim aſcendentium, & deſcendentium, & tranſverſorum propinquiores unus & alter in utriſque ſunt prohibiti. Lex terræ, ſeu Municipale noſtrum jus à Levitico præcepto non diſſidet; aut ſiqua diſſidet, non niſi ubi manifeſta eſt rationis paritas, (Quibus in caſibus ipſi Judæorum Magiſtri ultra ſcriptum jus obligationem extendebant.) Statutis enim autoritate Regiâ & concilio Parliamenti firmatis ſtabilitur, quod omnes perſonæ ad Matrimonium contrahendum aptæ & legitimæ cenſendæ ſint, qui divino jure contrahere non prohibentur; & quod nulla prohibitio ultra gradus in Levitico damnatos Matrimonium impediat. v. Stat. anno 32. Henrici 8. c. 38. anno 2. Edoardi ſexti. c. 23.

Statuta autem hæc optimè illuſtrant atque interpretantur leges Reformatæ dictæ, Tit. de Gradibus prohibitis in capp. 3. & 4. ab octo Regis Edoardi ſexti Commiſſariis, Eccleſiaſticis conſtitutionibus purgandis deputatis, ita conceptæ.

Deus id his gradibus certum jus poſuit, Levit. XVIII. *& cap.* XX. *quo jure nos omnemq; noſtram poſteritatem teneri neceſſe eſt. —Hoc autem in illis Levitici capitibus diligenter animadvertendum eſt; minimè ibi omnes non legitimas perſonas nominatim explicari. Nam Spiritus Sanctus illas ibi perſonas evidenter & expreſſè poſuit, ex quibus ſimilia ſpatia reliquorum graduum, & differentiæ inter ſe facilè poſſint conjectari & inveniri. Quemad-*

modum exempli cauſâ, cum Filio non datur uxor Mater, conſequens eſt ut ne Filia quidem Patri conjux dari poſſit. Et ſi Patrui non licet uxorem in matrimonio habere; nec cum Avunculi profectò conjuge nobis nuptiæ concedi poſſunt: (quam de rationis paritate regulam etiam ipſi Hebræorum doctores agnoſcunt, ut videre eſt apud Grotium: de Jur. Belli, l. 2. c. 5. 13.) *In quo duas Regulas magnopere volumus attendi; quarum una eſt, Vt qui loci Viris attribuuntur, eoſdem ſciamus Fœminis aſſignari, paribus ſemper propoſitionum & propinquitatum gradibus. Secunda Regula eſt, Vt Vir & Vxor unam & eandémque inter ſe carnem habere exiſtimentur; & ita quo quiſque gradu conſanguinitatis quémque contingit, eodem ejus Vxorem contingit affinitatis gradu: quod etiam in contrariam partem eâdem ratione valet. Et iſtis finibus ſi nos tenebimus, plures non inducemus illegitimas perſonas, quam ſacræ Scripturæ conſtituunt, & illos gradus integros & inviolatos conſervabimus, de quibus nobis Deus præcepit.*

Gradus autem omnes, ſive expreſſè ſive interpretativè & per analogiam, in lege Leviticâ comprehenſi, communi doctorum virorum judicio, nullibi accuratiùs recenſentur, quàm in Tabula à Dno Matthæo Epiſcopo Cantuarienſi imprimis editâ, & deinceps longo annorum tractu in Eccleſiâ Anglicanâ in uſu receptâ. Tabulam igitur ipſam, ſeu Admonitionem, ut vocat, hîc attexi duximus opportunum: præſertim quòd, præ temporum infelicitate, exemplaria ferè omnia, tanquam exoleto eorundem uſu, ſint diſperdita.

Admonitio

Admonitio ad omnes, quibus animus eſt piè & ſecundùm leges poſthac Matrimonium contrahere.

Imprimis, nè contra leges Dei & Regni cum iis qui infrà ſunt in hac Schedula prohibiti, aut pari aliquo gradu ſunt conſtituti, Matrimonium contrahant.

Secundò, ne privatos aliquos, contra legem Dei & humanas ordinationes, ineant de futuro Matrimonio contractus, abſque deliberatione & conſenſu Parentum, eorumve in quorum poteſtate ſunt.

Tertio, ne facto Divortio per Judicem, vel ſeparatione temporariâ, novos cum aliâ aliqua perſonâ ineant contractus, cùm leges contrarium jubentes adhuc obtineant.

Honorabile Conjugium in omnibus, & Thorus immaculatus; Scortatores autem & Mœchos judicabit Deus. Heb. XIII.

Ad evitandam fornicationem Unuſquiſque ſuam Uxorem habeat, & Unaquaque ſuum Virum. Qui continere nequit, Matrimonium contrahat: conſultius enim eſt Matrimonium con-

trahere, quàm ardore Concupiſcentiæ intendi.

Iis autem qui Nuptias contraxerunt præcipio, neque tamen Ego ſed Dominus, Uxorem à Viro non diſcedere; ſi verò diſceſſerit, maneat innupta, aut Viro ſuo reconcilietur. Maritus autem Uxorem ne dimittat. 1 Cor. 7.

Levit. XVIII. 20.

Nemo ad Propinquos carnis ſuæ accedat, ut pudorem revelet: Ego Dominus.

Gradus Viro in Matrimonio interdicti.

Secundus Gradus in linea recta aſcendente.

Conſ.	Avia.	1
Affin.	Avi relicta.	2
Affin.	Proſocrus vel Socrus magna.	3

Secundus Gradus inæqualis in linea tranſverſâ aſcendente.

Conſ.	Amita.	4
Conſ.	Matertera.	5
Affin.	Patrui relicta.	6
Affin.	Avunculi relicta.	7
Affin	Amita Uxoris.	8
Affin.	Matertera Uxoris.	9

Primus

	Primus Gradus in Linea recta aſcendente.	
Conſ.	Mater.	10
Affin.	Noverca.	11
Affin.	Socrus.	12
	Primus Gradus in linea rectâ deſcendente.	
Conſ.	Filia.	13
Affin.	Privigna.	14
Affin.	Nurus.	15
	Primus Gradus æqualis in Lineâ tranſverſali.	
Conſ.	Soror.	16
Affin.	Soror Uxoris.	17
Affin.	Fratris Relicta.	18
	Secundus Gradus in linea rectâ deſcendente.	
Conſ.	Neptis ex Filio.	19
Conſ.	Neptis ex Filia.	20
Affin.	Pronurus (i. e.) relicta Nepotis ex Filio.	21
Affin.	Pronurus, (i.e.) relicta Nepotis ex Filia.	22
Affin.	Privigni Filia.	23
Affin.	Privignæ Filia.	24
	Secundus Gradus inæqualis in linea tranſverſali deſcendente.	
Conſ.	Neptis ex Fratre.	25
Conſ.	Neptis ex Sorore.	26
Affin.	Nepotis ex Fratre relicta.	27
Affin.	Nepotis ex Sorore relicta.	28
Affin.	Neptis Uxoris ex Fratre.	29
Affin.	Neptis Vxoris ex Sorore.	30

Gradus

Gradus Fœminæ in Matrimonio prohibiti.

	Secundus gradus in rectâ lineâ aſcendente.	
Conſ.	Avus.	1
Affin.	Aviæ relictus.	2
Affin.	Proſocer, vel ſocer magnus.	3
	Secundus Gradus inæqualis in lineâ tranſverſali aſcendente.	
Conſ.	Patruus.	4
Conſ.	Avunculus.	5
Affin.	Amitæ relictus.	6
Affin.	Materteræ relictus.	7
Affin.	Patruus Mariti.	8
Affin.	Avunculus Mariti.	9
	Primus Gradus in linea rectâ deſcendente.	
Conſ.	Pater.	10
Affin.	Vitricus.	11
Affin.	Socer.	12
	Primus Gradus in linea recta deſcendente.	
Conſ.	Filius.	13
Affin.	Privignus.	14
Affin.	Gener.	15
	Primus Gradus æqualis in linea tranſverſali.	
Conſ.	Frater.	16

Affin.

Affin.	Levir.	17
Affin.	Sororis relictus.	18
	Secundus gradus in linea rectâ descendente.	
Conſ.	Nepos ex Filio.	19
Conſ.	Nepos ex Filiâ.	20
Affin.	Progener, (i.e.) relictus Neptis ex Filio.	21
Affin.	Progener, (i.e.) relictus Neptis ex Filiâ.	22
Affin	Privigni Filius.	23
Affin.	Privignæ Filius.	24
	Secundus gradus inæqualis in linea tranſverſali deſcendente.	
Conſ.	Nepos ex Fratre.	25
Conſ.	Nepos ex Sorore.	26
Affin.	Neptis ex Fratre relictus.	27
Affin.	Neptis ex Sorore relictus. (tre.	28
Affin.	Leviris Filius (i e) Nepos mariti ex Fra-	29
Affin.	Gloris Filius (i.e.) Nepos mariti ex So- rore.	30

1 *Obſervandum eſt, perſonas in rectâ aſcendentium aut deſcendentium lineâ poſitas, quocunque diſtent à ſe invicem gradu, non poſſe inter ſe juſtas Nuptias contrahere.*

2 *Obſervandum item eſt, quod Conſanguitas & Affinitas impediens & diſſolvens matrimonium contrahitur tam in iis & per eos qui ex uno ſolummodo latere, quàm qui ex utroque, ſunt conjuncti.*

3. *Item quod, ſecundùm leges, Conſanguinitas impediens & diſſolvens Matrimonium contra-*

hitur tam ex ex illicito coitu Viri & Mulieris, quàm per justas eorundem Nuptias.

4. In contractibus inter personas adhuc dubias, quæque in hac Tabellâ non sunt expressæ, tutissimum est, ut hac in re viri aliqui Jure-peritissimi consulantur; ut ab iis contrahentes edoceantur, quid legitimum, quid honestum, quid expediens sit, antequam Contractus finiatur.

5. Item ne Rector, Vicarius, aut Curam animarum gerens, extra suam Curam, aut extra Ecclesiam Parochialem aut Capellam, neque in ædibus privatis, aut Ecclesiis non permissis legibus, atque exemptis, Matrimonium solemnizare faciet, sub pœnâ in legibus huic inordinationi irrogatâ. Et quod Curam animarum gerens notas habeat certificatorias, quoties personæ in Matrimonio copulandæ in diversis locis habitant.

6. Item quod Banni matrimoniales, quibus futurarum Nuptiarum intentio continetur, tribus Dominicis, aut aliis Festis diebus, publicè in Ecclesiâ per Ministrum denuntientur, Ut si quis possit & velit impedimentum objicere, audiatur; & mora fiat, donec cognita causa sit, si exceptio illa, datâ simul sufficiente cautione (quod sc. ex fraude & dolo malo non fiat) interponatur.

7. Item ut qui frivolum ex dolo malo objecerit impedimentum, ad distrahendum aut conturbandum Matrimonium, pœnis ei delicto à lege irrogatis subjiciatur.

8.

8. *Item quisquis intra gradus prohibitos Matrimonium contraxerit, quamvis ex ignorantia hoc faciat, præterquam quod proles ex hoc Conjugio oriunda illegitima judicari possit, ulterius etiam ex arbitrio Ordinarii est punibilis.*

9. *Item si quis Minister tales aliquos Matrimonio copulaverit, aut præsens fuerit, dum hujusmodi initi sunt Contractus, à Ministerio suo per triennium suspendatur, aut aliter secundùm leges puniatur.*

Publicata à Reverendissimo Patre in Deo Matthæo, Archiepiscopo Cantuariensi, & totius Angliæ Primate, & Metropolitano. Excudebat *&c.*

Tabulæ autem huic accessit ampla Autoritas ex plurium Synodorum constitutionibus, regio consensu munitis. Anno 1571. Tit: finali vers: finali, Libro quorundam Canonum, ita statutum est. *Non licebit cuiquam Matrimonium contrahere inter illos gradus, qui in Tabulâ à Reverendissimo patre Dno Archiepiscopo Cantuariensi in eum usum scriptâ & publicatâ prohibentur.* Idem constitutum est in Synodo Londini habitâ anno 1603, Canone 99. atque in aliis etiam passim Constitutionibus.

Non me latet nonnullos esse, qui in hoc saltem Tabulæ hujusce authoritatem labefactatam velint, atque ideo solummodo eam damnant, quod in ea Sororem Uxoris ducere prohibitum sit. Verum ut mihi videtur, hanc absque ratione querelam facere annituntur. Quippe ex lege Levitica Mulieri cum Leviro, Fratre scil. Mariti, Matrimonium interdicitur. Quid ni igitur,

Defensio Tabulæ. Et An quis possit sororem uxoris defunctæ ducere?

tur, propter rationis paritatem, Viro cum Sorore uxoris Nuptiæ interdicantur? Quippe sicut se habet Frater Mariti sui ad ad Mulierem, ita Soror Uxoris suæ ad Virum. Argumentum de commixtione seminum vanam esse Medicos testor. Si autoritates æstimandæ, in Synodo 1571 ita constitutum est, *Omnia Matrimonia quæ uspiam contracta sunt intra gradus Cognationis aut Affinitatis prohibitos in* XVIII *Levitici autoritate Episcopi dissolventur: maximè verò si quis priore Uxore demortuâ ejus Sororem Uxorem duxerit: hic enim gradus, communi Doctorum Viro consensu & judicio, in Levitico putatur prohiberi.* Libro quorundam Canonum: Tit: finali. vers. penult. Atque ex antiquissimo, ut accepimus, Apostolorum canone ministerio interdicitur, qui duas Sorores duxit: *Canon: Apost:* 19. Imppp. item Valent: Theodosius, & Arcadius his verbis rescripserunt. *Fratris Uxorem ducendi, vel duabus Sororibus conjungendi penitus licentiam submovemus.* Et Basilius in Epistola ad Diodorum, *de eo qui duas sorores duxit*, huic sententiæ astipulator à Jureperitis citari solet,

Art. 2: *Pœna Incestarum & vetitarum Nuptiarum.*

Impp. Arcadius & Honorius Eutychiano sic rescribunt.

Cod. de Incestis & inutil. Nupt. l. 6.

Siquis Incesti vetitique Conjugii sese nuptiis funestaverit, proprias quamdiu vixerit teneat facultates, sed neque Uxorem, neque Filios ex eâ editos habere credatur. Nihil prorsus prædictis, neque per interpositam quidem personam, vel donet superstes vel moriturus derelinquat: Dos si qua fortè solenniter aut data aut promissa fuerit, juxtâ jus antiquum Fisci nostri commodis cedat; testamento suo extraneis nihil derelinquat, sed

sive

ſive teſtato ſive inteſtato, legibus ei & jure ſuccedant ſi qui forte ex juſto & legitimo Matrimonio editi fuerint; hoc eſt de deſcendentibus filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis: De aſcendentibus autem pater, mater, avus, avia: De latere; frater, ſoror, patruus, amita. ¶ *Teſtandi ſane ita demum habeat facultatem, ut his tantummodò perſonis pro juris ac legum quod voluerit arbitrio relinquat, quas ſuccedere Imperialis præcepti tenore mandavimus: ita tamen ut ab hæreditate defuncti penitus arceatur ſi quis ex his quos numeravimus in contrahendis inceſtis nuptiis conſilium iniiſſe monſtrabitur; ſucceſſuro in locum illius qui poſt eum gradu proximus invenitur.* ¶ *Ea ſane quæ de viris cavimus etiam de fœminis, quæ prædictorum ſeſe conſortiis commaculaverint, cuſtodiantur.* ¶ *Memoratis vero perſonis non extantibus noſtro Fiſco locus pateat.* Dat. 6. Id: Decemb: Conſtantino. Arcadio IIII. & Honorio III. A. A. Coss: 396.

In Auth: de inceſtis & neſariis nuptiis §. 1. Collat. 2. tit: 7. al: 6. Nov: 12. c: 1.

Inceſtas nuptias contrahentis pœna eſt Confiſcatio bonorum tam cæterorum quam dotis, Exilium etiam, & Cinguli (ſi quo potitur) ſpoliatio, Verberatio quoque ſi vilis eſt: Fœminâ quoque talia ſcienter peccante ſimili pœna ſubjugandâ. Subſtantia ſit amiſſa liberis hoc ipſo ſui juris effectu, ſi quos habet legitimos, applicetur; ut tamen pater ab his alatur: quibus non extantibus Fiſco defertur.

In Auth: quib: mod: naturales efficiantur ſui. §. fin. coll: 7. tit: 1. Nou: 89. c. ult.

Ex complexu nefario aut inceſto ſeu damnato liberi nec naturales ſunt nominandi, omnis paternæ ſubſtantiæ indigni beneficio ut nec alantur à patre. * Atque ex communi hujus Regni uſu, à teſtamenti factione inceſtuoſi

* v. Swinburne de Teſtamentis part: 2. §. 17. & utores ib. citatos.

cestuosi secundum leges hasce prohiberi solent, & mulctâ etiam impositâ puniri.

Art: 3. *Rationes Incestus prohibiti; seu cur qui in gradu propinquiori sunt* Matrimonio *sint interducti.*

Inter eos qui in numero parentum sunt, sive proximi sive ulterioris gradus, cur nuptiæ non haberentur licitæ causa sufficiens à Grotio existimatur, Quia si secus fieret *Maritus, qui superior est lege Matrimonii, eam reverentiam non posset præstare matri, quam Natura exigit; nec patri filia: Quia quanquam inferior est in Matrimonio, ipsum tamen Matrimonium talem inducit societatem quæ illius necessitudinis reverentiam excludit*: Ubi Lucani illud citat— *Cui fas implere parentem.*

Quid rear esse nefas? De jure belli. L. 2. Cap. 5. n. 12. Quam prohibiti inter ascendentes & descendentes incestus causam etiamsi satis approbem, utpote quæ fundamentũ habet & communiter est recepta; illud tamen quod miratur Grotius quasi Socratis Commentum tantum absum ut improbem, ut revera causam Philosophum satis illic naturalem minimèque absurdam prohibiti hujus incestus declarasse existimem. Imprimis enim in hujusmodi conjugiis ætatum Disparitatem culpandam censuit Socrates; unde aut sterilitatem ait sequi aut male conformatam sobolem: quæ utraque naturæ in prolem στοργαῖς adversari videntur. *V. Hypoth: Eth: c: 7. n: 1.*

Præterita igitur ratione prius memorata, nos incommoda hujusmodi incestus quæ propter ætatum disparitatem accidere possint, & solent nonnunquam, paulisper dispicamus. Historiam expendit Surius die Maii XV. Ex Petro Cameracensi & aliis, ubi asserit B. Dymnæ, Regis filiæ, ex Senatusconsulto Regi patri suo, nuptias conciliatas. *Placuit paren-*

ti reſolutio, diſplicuit Virgini ut citatur apud *Caramuelem. Theolog: Moral. Lib. 2. N.* 541. Tulit etiam legem aliquando Semiramis Regina, quo melius flagitioſe cum filio ſuo Nino poſſit congredi, ut nulla diſcretione habitâ ſanguinis, liceret cum Matribus & Conſanguineis conjungi nuptiis. Sed ætate confectam matrem lecti ſociam non ſuſtinens animoſus juvenis eam interemit, Matricida & Vxoricida ſimul factus. Et quid aliud ex tam diſpari Conjugio ſperari poterat? Si Avia, Mater, Matertera, languida, infirma, edentula, cui frigent effætæ in corpore vires, Nobilem & Semine generoſo turgidum Nepotem, Filium, aut jure patrio ſub poteſtate exiſtentem deperiret Cognatum, atque arcta conjugii expoſceret fœdera; Quid faceret juvenis? Nam neque felicitatis conjugalis ſenſum in tam abſurdo & monſtroſo conjugio poſſit experiri. Fruſtra naturali procreandi appetitui ſatiſfacere conaretur, & ſemper ſequereretur quod nunquam poſſit aſſequi; & proinde naturalis ratio eſt cur contra Matrem etiam ſuam, turpiſſimam hac in re Tribadem, excandeſceret, eamque iniquo animo pateretur, quod in cauſa velit eſſe ne Tori fœcundi, germanaſque mariti, Illecebras & dulce patris nomen ipſe unquam poſſit cognoſcere; Imo filium ſuum enervando, quod in ſe erat fecerit, ut ipſa ſeris nepotibus & perpetua deſendenti prole aliquando deſtitueretur.

Hemingius de lege Nat; ex Juſtino. Item Oroſius lib. 1. c. 4.

Hic autem, quoniam peritos in arte, ſua re dubia, in conſilium vocari jubent leges; cum Socratis Quæſtio ad Phyſiologos & Medicos ſpectet eos quæſo conſulamus, An credibile ſit hæc eventa (ſterilitatem ſcil. aut malam confirmatam ſobolem) ex imparibus nuptiis eſſe ſequutura? Qui ſi rudius loquantur & verba auribus pudicis minus grata aliquando proferant

Res

Res de qua loquuntur, & Ars ipſa profeſſores, precor, faciat excuſatos.

Cl: Johannes Wallæus, *lib: 2. de Medicina pract: cap: 20. de Uteri affectibus:* Juvenculas dicit facile corripi Mola ſi ſenibus copulentur, quod ſemen eorum ſit debile nimis, & fibræ ejus facile coaleſcant: & paulo infra, *cap: eodem*, ſterilitatem oriri aſſerit, quando ſemen eſt improportionatum, hoc eſt cum Semina non conveniunt in qualitatibus, & quando Mas & Fœmina non ſimul eodem tempore excernunt. Improportionata autem eſſe ſeniorum profluvia juniorum ſeminibus manifeſta res eſt: ſi quæ ſcil: omnino ſint; utplurimum vero ab ætate confectis nulla qualiſcunque ſeminis emiſſio expectari poterit. Tædio eſſet plures hac in re citare Phyſiologos, mitto igitur quod prælectiones has noſtras malim autoritate deficere quam turpiloquio abundare.

Conſtat igitur quod contra Quietem familiæ, contra Amorem conjugalem, & naturalem Sobolis procreandæ appetitum, etiam reſpectu diſparitatis annorum, communiter peccet ea Inceſtûs ſpecies. Hanc autem non ſolam eſſe & ſimplicem rationem prohibiti inter aſcendentes & deſcendentes conjugii, inde conſtat; quod alias quoties nulla eſſet notabilis in parente & prole annorum reſpectu diſparitas, honeſtum eorundem cenſeri deberet matrimonium: quod etiamſi perraro fit, poſſit tamen contingere. Atqui iſtiuſmodi etiam conjugium communis de Caſtitate Hypotheſis impurum atque illegitimum ſolet judicare.

Si quæratur annon aliud ſit quorundam graduum in matrimonio prohibitorum fundamentum præter abſurditates & incommoda a nobis deprehenſa, idque extra nos poſitum; Videtur certe non aliud his accenſeri

censeri posse nisi positivum Dei præceptum. Hebræis in recta linea gradus prohibiti à Grotio citantur, Aviæ & Proaviæ omnes, Pronovercæ Proneptes, Proprivignæ, Pronurus, Prosocrus. Legem autem, inquit, de Nuptiis cum his personis interdictis, & ne fratres sororibus miscerentur, ipsi Adamo datas censent Hebræi; sed ita ut vim suam non exsererent, quod nec ipse tacet Augustinus, nisi post multiplicatum satis humanum genus, quod ipso initio sine fratrum & sororum nuptiis fieri non potuit. Neque referre putant quod id à Mose suo loco narratum non sit: quia satis habuit hoc in Lege ipsa tacite indicasse, cum gentes extraneas eo nomine damnet. Multa enim talia esse in lege quæ non temporis ordine sed ex occasione dicuntur: Vnde illa inter Hebræos celebris sententia: *In lege non esse prius & posterius*, id est, multa referri ὕστερον πρότερον. De connubio fratrem & sororum verba hæc sunt Michaelis Ephesii, ad quintum Nicomachiorum, Τὸν ἀδελφὸν μίγνυσθαι τῇ ἀδελφῇ ἐξ ἀρχῆς μὲν ἀδιάφορον ἦν, νόμου δὲ τεθέντος μὴ μίγνυσθαι πολὺ τὸ διάφορον. *Fratrem cum sorore connubere ab initio res media erat, at lege adversus tales concubitus positâ, jam multum refert observetur lex, necne.* Diodorus Siculus vocat, Κοινὸν ἔθος τῶν ἀνθρώπων, Communem hominem morem ne fratres sororibus jungantur. A quo more Ægyptios eximit; Dion Prusæensis barbaros. Seneca scripserat, *Matrimonia Deorum jungimus, & ne pie quidem; fratrum & sororum.* Plato, *de legibus Octavo*, talia conjugia vocat Μηδαμῶς ὅσια καὶ θεομισῆ, *minime piâ sed Deo invisa*, quæ omnia ostendunt veterem Famam de lege divina adversus id genus conjugia, unde & vocem *nefas* de talibus usurpari videmus.

An ex positivo Dei præcepto damnata sint propinquiorum Graduum Connubia?

Propinquiorum connubia à quibusdam Gentibus damnata

v: Grotium ib. n. 13.

Certe si generaliter istæ prohibeantur à Deo conjunctiones

junctiones ex prohibitione divina poſitivâ potius quam ingenerato Conceptu & communi Notione interdictas exiſtimem: Poſitiva enim Lex propter traditionis defectum ex memoria excidere potuit, quod de naturali non ita facile eſt exiſtimare. Hanc autem legem in deſuetudinem inter plures gentes abiiſſe ex Hiſtoriis abunde eſt confirmatum: Apud Perſas enim etiam cum Matribus miſceri jure non tantum permiſſum ſed & probatum erat, *Honoratiores Perſæ*, inquit Philo, *cum Matribus contrahunt matrimonia & natos inde arbitrantur nobiliſſimos, regioque, ut ferunt, dignantur ſolio. Quo nihil magis impiũ excogitari poſſit, conſpurcari defuncti patris thalamum, cui maxima debetur religio, matri nullum exhiberi reverentiam, filium eundem & maritum fieri, matrem viciſſim uxoris nomen aſſumere. &c.* Perſis addit Medos, Indos, Æthiopas Hieronymus *lib*: 11. *Contra Jovinianum.* Euſebius lib: 6. præpar: Evang: *Apud Perſas*, inquit, *lex erat, quâ non filias tantum & ſorores ſed & ipſas quoque matres ſecum matrimonio jungere licebat. Nec in ea tantum regione hujuſmodi Nuptias contrahebant Perſæ, ſed & Maguſæi, & quotquot à Perſide alio commigrarunt poſteris ſuis, hæreditario quaſi jure, eaſdem leges & conſuetudines reliquerunt: quibus utentes multi*, inquit *in Media, Ægypto, Phrygia, Galatia inveniuntur.* Non tamen apud Perſas ipſos hoc ſemper jure permittebatur, ut ex Hiſtoria Cambyſis ſatis conſtat. *Is cum amore ſororis captus eſſet*, ut eſt apud Herodotum in Thalia: libro. 3. *nec liceret, lege Perſarum, ſororem uxorem ducere: interrogans judices Regios, apud quos legum Cuſtodia & Interpretatio erat, num id lex permitteret? Reſponſum accepit, Nullam legem ſe invenire quâ fratri licitum ſit nubere ſorori, quandam tamen ſe invenire quâ liceat Regi Perſarum facere quod lubeat.*

Eadem apud quaſdam permiſſa & approbata.

Philo de ſæcularibus legibus Contra Mæchos.

lubeat. Multa certè his in rebus diversitas, pro temporis varietate, erat. Athenis enim nunc ducere Sorores licebat, ut refert Æmilius Probus in Cimone; Nunc iisdem nefas censebatur. Narrat enim Suidas Cimonem à Civitate exterminatū, quod Elpinicē Sororem suam duxisset. Sed Euripidis (in Andromacha) illud ab omnibus citatur.

Τοῦτ' οὐκ ἐν τῷ βαρβάρῳ γίνεται
Πατὴρ τὸν υἱὸν ἀμφιβαλὼν χρῄζει κτανεῖν,
Κοὐκ ἀξιοῖ σῶν. — Τῶν δ' ὁσίων ἐξείργει Νόμος.

Plura etiam hujusmodi exempla enumerare fortean & congerere non difficile fuerit, ut inde argumentum aliquod desumi possit, ex Jure positivo potiùs quàm innato Sensu, hæc vetita esse Connubia. Cujus sententiæ se esse testatur Episcopus Elienſis *in tractatu de Sabbato*, & alii passim viri doctissimi. Dissimulandum tamen non est, præter incommoda inde consequentia, & sensum divinæ probibitionis primis Parentibus illatæ, naturalem apud plerosq; (in nostris præsertim regionibus) pudorem esse, quo ab propinquorum Nuptiis abducuntur, propter nescio quam intrinsecam ipsis displicentiæ causam; unde *Oscula Sororia* dicuntur ab Ovidio frigida, non qualia Sponsæ imprimere Maritus solet. Hanc tamen displicentiam & pudorem ab educatione potius, locique, ubi degimus, consuetudine, quam ab innato Sensu profectum plurimi contendunt, & rem integram ad positivum referunt summi Creatoris præceptum.

Generalis ratio cur sanguine & affinitate conjunctissimorum conjugiis interdicti publicè interfit.

Sive autem divina nobis insita imprimis ratio, seu districtum à Deo promulgatum jus, incestuosa hæc Conjugia dissuaserit atque interdixerit, omnes unà agnoscimus Legis ipsius bonitatem: quippe præter omnes quas modo retensuimus absurditates & incommoda, ex Legis hujusce observatione, evitata, aliud insuper humano generi insigne commodum à Deo Patris & Dilectionis cœlitùs devenit. Ille enim

qui semper habuit perspectissimum quantum nostrum interesset Pax & Amicitia, non solùm summis, in sacris Oraculis suis, elogiis evexit Dilectionem & Caritatem, *Vinculum perfectionis, Legisque impletionem* illam *nuncupavit*, Omnibus donis & virtutibus prætulit, eamque infinitam suis consuluit: sed quo latius in omni terrarum orbe disseminaret atque extenderet Caritatem, hoc addidit Inventum, ut cùm per Nuptias Vnitas quædam, conjunctio & necessitudo oriatur, coalescerent conjugia cum illis solummodo qui nondum erant conjunctissimi. Suppositimus Hypothes. Ethic. cap. VIII. num. 1. *Liberos suos & propinquos Naturam cæteris cariores voluisse*, & Consanguineos, affinesque nostros, cætero humano generi esse conjunctiores. His igitur Matrimonia inter se interdixit, ut per diffusas affinitates latius spargerentur Amicitiæ, & extenderetur in alios Dilectio. Humanam prudentiam hujusmodi suadere legem animadvertit Plutarchus Quæst. Rom. 107. Divinam Sapientiam & Bonitatem, quod eam edicto firmaverit, Philo, & Augustinus laudant: qui posterior dum institutum hoc disseminandæ Caritatis & necessitudinum non congerendarum evehit, contrarii absurditatem sic explicat. *Soror*, inquit, *si Vxor* (sublatis de Incestu legibus) *fieret, duas teneret una necessitudines; quibus per singulas distributis, ut altera esset Soror, altera Vxor, hominum numero socialis propinquitas angeretur*, August. De Civ. Dei lib. xv. cap. 16. Hæc autem amoris dissemination si ratio legum de Incestu sit, causa etiam inde assignari possit, cur in remotioribus gradibus nuptiæ inter Cognatos non sint interdictæ. Cùm enim, ut passim in vita communi videre est, in illis gradibus deficere soleat & languere Naturalis amor, permissum est, ut si causæ probabiles earum videantur, per novas Nuptias, nova, postquam prior jam elanguit, redintegraretur inde Amicitia.

Col. 3. 14. Rom. 13. 10. 1 Cor. cap. 12. cap. 13.

Celibris

Celebris Quæstio

De Consobrinorum seu Patruelium conjugiis: Ubi secundùm ordinem temporum ostenditur quatenus justa atque honesta, tam in Imperio Romano quàm in Ecclesia Christianâ, hæc conjugia, unoquoque sæculo, sunt æstimata.

SUB initio generis humani, (si Poeticæ Historiæ fides,) Honestatis Nuptiarum inter Patrueles exempla sunt Deucaleon & Pyrrha, quam Patruelem suam duxit Deucaleon. Geneologia facilis: Japetus pater genuit Promethea & Epimethea, à quibus orti Deucaleon & Pyrrha. Quod & Ovidii carmine confirmatur:

Deucaleon Pyrrham lachrymis affatur obortis:
O Soror! O Conjux! O Fœmina sola superstes!
Quam commune mihi genus & patruelis Origo,
Deinde Torus junxit: &c.

Atque usus hujusmodi Conjugiorum in omnibus familiis & nationibus, ex prima earundem à prima suâ stirpe dissemination, frequens erat atque habitus inculpatus. Exempla è Barbaris desumere esset infinitum.

Exempla quæ ad Usum hujusmodi Conjugiorum in Romana repub. probandum citantur, sunt, Liguslini apud Livium. lib. 2. decad. 5. qui *Patrem* ait *sibi Uxorem dedisse Patrui sui filiam.* Cluentiæ, *quam* Cicero in Oratione pro Cluentio scribit, *rite nupsisse Marco Aurio consobrino suo.* Brutus item, ille *rigidi* (ut cum Lucano loquar) *servator honesti*, Portiam consobrinam suam, Catonis filiam, Uxorem duxit. Marcus Antoninus Philosophus (præclara exempla) Faustinam etiam consobrinam suam Uxorem sibi asciv[illegible]. Atq; alia hujusmodi

jusmodi passim reperiuntur.

Sed sanè, si Plutarcho fides, sub initiis seu incremento Rom. Reipub. minus percrebuerunt hæc conjugia. *Antiquitus*, inquit, *sanguine junctas Romani sibi non copulabant in Matrimonio, ut ne nunc quidem Materteras aut Sorores; sero concessum fuit, ut ducere Consobrinas liceret. Idque tali de causa: vir quidam pecuniæ indigens, alias honestus, & gratiâ populari nemini inferior Consobrinam habere putabatur Uxoris loco; ad quam hæreditate dos magna pervenerat, eâque ratione dives ipse factus est. Cui cum esset eo nomine dies dicta, Populus, omissâ causæ cognitione, eum absolvit, decretoque facto nuptias Consobrinorum permisit publicè: conjugio autem superiorum graduum interdixit.* Quæst. Roman. 6.

Ea autem non erat in Romano Imp. prohibitarum hujusmodi Nuptiarum antiquitas, quin ut antiquius adhuc in usu fuerint. Filiæ quippe Servii Tullii nuptæ sunt, Consobrinis suis, Lucio & Arunti Tarquinii Prisci nepotibus. Sique altius ascendendum est, etiam ante Urbem conditam de Turni & Laviniæ nuptiis agebatur.

Atque sanè ab isto, quod notat Plutarchus, Reip. Romanæ sæculo, usque ad tempus quo Sanctus Ambrosius in Ecclesia Christianâ floruit, & ad Imperium nostri hujusce Orbis promotus erat Theodosius, annum scil. Christi trecentesimum octogesimum, continuo jure licebat, prout hunc iterum in Nostro hoc Regno licet, cuiquam, cum Patrueli aut Consobrinâ suâ, justum contrahere Conjugium.

Quod ne gratis dictum sit, ordinem Temporum sequi enitar: Jure-prudentum scil. responsa & Imperatorum rescripta, quotquot de hac Materia aliquid, quod ad nos usque pervenit, scripserunt, juxta eam, qua quisque floruit, ætatem, in medium proferam.

Nec

Nec dubito quin in hac re, sicut in aliis quamplurimis textuum difficultatibus, ad legum [illegible] reconciliationem magni momenti erit distincta Temporum, quibus quæque scripta sunt, cognitio.

Circa annum Christi centesimum quadragesimum, Marcellus clarissimus Jurisconsultus non tulit legem, sed respondit ex antiquo, certo & communi Jure, licitam esse & honestam conditionem quemque Consobrinam suam Vxorem duceret. Lex est, *Uter ex fratribus meis Consobrinam nostram Vxorem duxerit ex Dodrante, qui non duxerit ex Quadrante hæres esto*, (hæc scil. honesta in testamento conditio supponitur interposita) respondit igitur Consultus. *Qui ex his Consobrinam duxit, Dodrantem habebit, alterius erit Quadrans*, id est, qui eam uxorem duxerit, mercedem in testamento constitutam, quasi legitimâ impletâ conditione, jure consequetur. v. l. Vter. 23. ff. de Conditionibus Institutionum 28. 7.

Marcello succedet Illustrissimum Juris lumen Papinianus, qui ff. eodem l. 24. proximè subsequente, istiusmodi institutionem, ut honestam, recensuit. *Qui ex fratribus meis Titiam Consobrinam Vxorem duxerit, ex besse hæres esto; qui non duxerit, ex triente hæres esto.* Claruit hic Papinianus circa annum Christi ducentesimum, Juris scientiâ nulli secundus.

Papiniano, Juris Oraculo, successerunt in Juris scientia, post tria quatuorve annorum lustra, Pomponius & Julius Paulus, Vlpiano pares, & ejusdem contemporanei. Qui sub Imperio Caracallæ (qui Papiniano, quod nollet prætextu Juris publicè fratricidium ejus excusare, præscidit caput) & postinde floruerunt. Responsa utriusque una eadémque exhibet Lex. ff. de Ritu Nuptiarum. l. 3. *Si Nepotem ex filio, & Neptem ex altero filio in potestate habeam, nuptias inter eos, me solo autore, contrahi posse Pomponius scribit & verum est*, ita respondet Paulus. d. l. Ipsius

ipsius etiam Imperatoris Caracallæ eodem circiter tempore extat rescriptum, quod in Codice Justinianeo sic traditum accepimus. *Conditioni*, inquit, *sub qua testamento Matris tuæ Hæres institutus es, si non parueris, locum habet substitutio: nec enim viduitatem tibi indixisse, cum te filio Sororis suæ, Consobrino tuo, probabili consilio, Matrimonio jungere voluerit.* Cod: de Instit. & Substit: 6. 25. l. 2. Isthac autem lege hæc supponitur, Institutio. Si Titio filio sororis meæ, Consobrino suo, filia mea Sempronia nupserit Hæres esto. Lex erat. *Honestæ conditionis Hæres, nisi paruerit, Substitutum in Hæreditatem admitti.* Respondet igitur Imperator, honestam esse hanc conditionem, nec viduitatem indixisse sub specie turpium nuptiarum, quæ filiæ suæ nuptias cum Consobrino iudixit: sed aut parendum esse conditioni, aut cedendam Substituto Hæreditatem. Lata hæc lex erat, ut ex Codicis exemplari videtur, anno Christi ducentesimo decimo quarto, Antonino & Balbino Coss. vel ut alii temporum computatores scribunt Caracallâ & Balbino Coss. Quod idem est: Antoninus enim Imp. cognomen accepit Caracallæ, quod populo (ut vulgatum est ex Spartiano, Sexto Aurelio *in Antonino* aliisque) vestimenta ad talos dimissa, *caracallas* dicta populo donasset. Fuit autem Caracalla vestis olim, & jam iterum, Clericis in usu, quæ ad talos dimissa, magnum induenti conciliabat decorem, Nostratibus **Cassock** nuncupantur. Narrat. Beda cap. 7. lib. 1. Ecclesiasticæ hist: gentis Angl. *quod cùm Clericus S. Albani confessor, apud quem etiam hospitabatur, ad necem deposceretur à militibus, mox se, S. Albanus pro hospite & Magistro suo ipsius habitu, id est, Caracallâ, qua vestiebatur, indutus, exhibuit, atque ad judicem vinctus perductus est.* Sed hæc obiter de Imp. & veteri caracallæ usu.

Caracalla vestis Clericis antiquitus in usu.

Tri-

Triphonius etiam qui, nisi temporum computationibus fallor, circa annum Christi ducentesimum quinquagesimum in jure dicendo floruit, respondit, quod *si Avus tutelam gessit neptis ex filio emancipato, neptis ex altero filio eam elocare* justo Conjugio *possit*. ff. de ritu Nupt: 23.2. l. Non solum 67. §. 1.

Circa annum Christum trecentesimum octogesimum, cum Ambrosio suo, vixit Theodosius primus, atque Episcopum hunc plurimum deveneratus est Imperator, ejusque (ut quidam aiunt) instinctu imprimis matrimonia cum Consobrinis illicita fore edicto Imperatorio est sancitum. Atque sane quamvis Constitutio ipsa ad nostra usque tempora non devenit, tamen propter autoritatem Sexti Aurelii Victoris, qui, *in Theodosio*, hanc latam esse constitutionem confirmat & Sancti Ambrosii in vulgatissima *ad Paternum* Epistola idem asserentis, extra dubium habere rem oportet eo tempore fuisse vetita. Taceri autem non debet, haud prorsus & simpliciter illicita ex rescripto hoc Theodosiano facta fuisse inter patrueles seu Consobrinos Matrimonia, sed saltem illud fuisse vetitum, *ne quis absque licentia, seu rescripto Principis sibi indulto, istiusmodi Nuptias contrahere præsumeret*. Communis enim formula erat rescripti Imperatorii sive Indulgentiæ aut Dispensationis (ut Novis utar Vocabulis) quibus hujusmodi Nuptis licentia facta erat, quæ apud Marc. Aurelium Cassiodorum. lib: 7. Variarum, hac insignitur Titulo FORMULA RESCRIPTI QUO CONSOBRINA LEGITIMA FIAT VXOR. Formula autem ipsa sic in Umbilico clauditur. *Supplicationum tuarum* (petentis scil. licentiam) *tenore permoti, si tibi illa* (mulier scil. ducenda) *tantùm consobrini sanguinis vicinitate conjungitur, nec alio gradu proximior approbaris, Matrimonio tuo decernimus fœlicitandam esse, nul-*

Iam vobis exinde fieri jubemus quæstionem, quando & Leges nostra permittit voluntate consentiunt, & vota vestra præsentis auctoritatis beneficio obfirmamus. Erumpat igitur vobis, Deo favente, posteri solemniter Hæredes, castum Matrimonium, gloriosa Permistio, quando quid à nobis sit præcipitur, non culpis sed laudibus applicetur. Nemo autem illud dixerit ab Imperatore damnatum, cujus sub vulgatâ & notissimâ formulâ, pro more solebat concedi licentia. Illud etiam ipse fatetur eodem loco Ambrosius: *Legem* scil. *quæ in commune statuebatur, aliquibus fecisse relaxatam, atque eis solummodo hoc profuisse, quibus erat relaxatum.* in Ep. ad Paternum 66.

Circa annum Christi trecentesimum nonagesimum Theodosio successerunt Impp. Arcadius & Honorius. Cod. autem *Theodosiano*, Tit. de Incestis Nuptiis, lex facta Arcadio & Honorio Coss. in primo Imperii post Theodosii obitū anno, æræ Christianæ trecentesimo nonagesimo quarto, ita legitur. *Si quis post hæc incestis Consobrinæ vel Sororis, vel fratris filiæ, uxorisve ejus, postremo cujus vetitum damnatumq; est conjugium sese Nuptiis funestaverit, designato quidem supplicio, hoc est Ignium & proscriptione careat, proprias etiam quandiu vixerit facultates teneat. Sed neque eam Uxorem, nec Filios ex ea editos habere credatur.* Hæc eadem verò Constitutio *Cod. Justinianeo* l. 6 Tit. de Incestis Nuptiis, sic concipitur, ut nulla sit specialis Consobrinorū mentio, nec pœnæ ignium & proscriptionis; lex enim est, *Si quis Incesti vetitique conjugii Nuptiis se funestarit, proprias quandiu vixerit teneat facultates, sed neque uxorem neq; filios ex ea editos habere credatur.* Circa hanc igitur legem suspicatus est Cl. Zoucheus, *Quæst. Jur. Civil. Cleff.* 3. *Quæst.* 4. quod Anianus, qui ex Alarici Regis præcepto Codicis Theodosiani breviarium perscripsit, ad Gothorum usum istam constitutionem

stitutionem accommodavit, eoq; magis, quod in eadem ex suæ gentis moribus Pœnæ ignium & proscriptionis, ab Arcadii & Honorii sententia abhorrentis, mentionem faciat. Non multùm autem refert, si è contrà à Triboniano in Codicis Justinianei editione omissam Consobrinorum mentionem dicamus: Quorsum enim insereret eam legis clausulam, quæ ante editum Codicem jamdiu erat abrogata, & vim suam amisit.

Certissimum enim est, quod iidem Impp. Stilicone & Anthemio Coss, anno Christi 405, leges omnes sustulerunt contra patruelium & consobrinorum Nuptias ab Antecessore suo Theodosio latas, aut alia quacunque ratione noviter usurpatas. Lex est, *Celebrandis inter Consobrinos matrimoniis licentia, legis hujus salubritate, indulta est, ut revocata prisci Juris autoritate* (quæ verba noviter vetita hæc conjugia esse ostendunt) *restinctisque calumniarum fomentis, Matrimonium inter Consobrinos habeatur legitimum, sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre & sorore nati sint, & ex eo matrimonio editi, legitimi, & suis patribus successores habeantur.* Atque ita ex hac lege postquam concessa erat consobrinis inter se Nuptiarum licentia, sublatæ non ita multo post sunt Nuptiæ ex rescripto, Indulgentiâ, sive Συγχωρήσει Principis, quod precum harum obreptione (ut verbo Legis utar) plures iniquiora contrahere & stabilire Matrimonia contenderent. Lex quæ Συγχώρησιν sustulit, lata erat anno Christi 409. Honorio 8. & Theodosio 3. Coss. *Cod. si Nuptiæ ex rescripto petantur.*

Atque in hoc statu se res circa has Nuptias habuit usque ad Justiniani, qui ab anno 527. ad 565. imperium tenuit, tempora, quique implevit & conclusit Jura; & in Institutis Imperatoriâ autoritate rescripsit *Duorum fratrum vel sororum liberos, vel Fratris & Sororis, conjungi posse.* Inst. de Nupt. §. 4. Non me latet Theophilum, Institutionum Justiniani Interpretem, sensum invertisse, & per interpositionem termini negativi planè contrarium expressisse: Id tamen omnes fermè JCti consentiunt, quod Interpres hic, pro temporum suorum ratione contra mentem & rescriptum Justiniani & certum jus, legem detorsit,

Quin

Quin & ipse Contius, inficiator contrahendarum inter Consobrinos Nuptiarum celeberrimus, in hanc Theophili interpretationem animadvertens, fatetur, *sæpe apud Theophilum negari quod Justinianus post veteres affirmavit*. Contius lectionum. 2. 1. Adeò ut Institutionibus Justiniani & Gaii idem fermè acciderit: In quibus circa eandem materiam spuria lex Gaio supponitur, qua dicitur *fratres amitinos vel consobrinos in conjugiis jungi nullâ ratione permittitur*. Inst. Gaii l. 4. Quem locum ex Gotthorum jure corruptum & negativè conceptum, affirmat Zoucheus, præter mentem autoris. Doctissimus etiam Cujacius qui has ipsas Gaii Institutiones edidit, non aliud esse dicit quàm *Epitomen Institutionum Gaii, ab Aniano Alarici Consiliario confectam, idque quantum, quoque modo, sui temporis usus exigere videbatur; ubi inter Gaii lapillos, lateres Aniani malè coctos, & inter ejus fruges Aniani culmos internosci* asserit.

Viso jam, quid à Jure-Consultis & Imperatoribus in omni tempore factum est, donec ad summum fastigium Juris Civilis honor est evectus: ad ea devenimus tempora, in quibus apud alios Longobardorum Gotthorumq; καίνας νομοθεσίας obtinuerunt; apud alios Ecclesiasticorum Conciliorum canones, honore religioneque habiti, circa causas matrimoniales decernere cœperunt, & jus canonicum cœpit invalescere: in quibus sanè ut statim videbitur, plures Jure Civili matrimoniis prius permissi gradus in Ecclesia prohibentur: Non tamen hoc simpliciter & absolutè, sed prout in Imperio sub ætate Theodosii, nisi scil. alicui ex Ecclesiæ Indulgentia aliter dispensatum fuisset.

Quoniam autem iniquum esset sæculi in Ecclesia sequioris canones & decreta, præteritis antiquiorum Patrum judiciis, citare (præsertim cùm ii leges divinas interpretari maluerunt, quàm suas ponere) Antequam, ad ætatem in qua Jus Canonicum cœpit imprimis caput exserere, descendamus, quid Ecclesiastici in quatuor primis, à Christo nato centuriis, de hac controversiâ, ex Oraculorum sacrorum consideratione, censuerunt, videamus.

Atque

Atque imprimis agnen ducat S. Athanasius, cujus hæc sunt verba: ἀλλὰ λαμβάνουσι πλησίον αἱ συγγενεῖς γυναῖκας τῶν ἀνδρῶν ἑαυτῶν, καὶ ἐν τῷ σπουδαίῳ αὐτῶν γίνεται φυγεῖν καὶ νόμος· νόμισμα δὲ γάμων τὸν ἀφ' ἑστίας ἀνεψιὸν εὑρίσκων. *Athan. in Synopsi S. Script. lib. 4.* "Accipiunt hic filiæ Salpaad sortem "patris ipsarum, & illarum occasione mandatum "domini datur, & lex ponitur, qua pro legitimis "decernuntur cum consobrinis inita conjugia.

Patres sententia, qui in 4. primis à Christo natis Centuriis floruerint: in quibus solus est Ambrosius, qui aliâ lege quàm Civili hæc Consobrinarum prohiberi conjugia censuit.

De statu antediluviano, & temporis tractu ante legem, Epiphanius hæresi 39. lib. 1. tom. 3. sic habet: ἐπὶ δὲ Ἀδὰμ καὶ Εὔας: *Cùm Adamus utrinsq; sexûs liberos suscepisset, necesse erat illa tempora fuisse, ut filii matrimonia cum sororibus inirent: Neque id erat interdictum, propterea quod genus erat aliud hominum nullum; quum ipse Adamus cum sua (ut ita dicam) filiâ, conjugio sociatus esset, quam de ejus corpore Deus effinxerat. Nefas enim illud non erat. Et ex illius liberis Cainus sororem natu majorem duxit, Savem nomine, Sethus cum sorore Asura est conjunctus. Cæterùm amplificato hominum genere, auctoque posterorum Adami numero, honestissimi matrimonii pudori accuratiùs paulatim legibus est consultum. Ubi enim Adamo filii & nepotes extiterunt, exiisque filiæ generis successione procreatæ, tum demum sorores in matrimonio habere non licuit. Itaque vel ante scriptam à Mose legem, honestarum nuptiarum status optimis decretis constitutus est (ἐξ ὧν τοὺς ἀλλοφύλους ἀπὸ τῶν γαμετῶν ἑαυτῶν ἦγον) atque ex Consobrinis suis uxores sibi duxerunt.*

Hieronymus consimiliter legum meminit, in quibus gradus aliqui consanguinitatis nuptiis erant impedimento, sed ceu positivas recensuit, quæq; ex natura non pariebant obligationem. *Arum, filius Thare, frater Abraham & Nachor duas filias genuit, Melcham & Sarai cognomento Jescam, Ἰέσχαν. E quibus Melcham accepit uxorem Nachor, & Sarai Abraham. Nec dum quippe inter patruos & fratrum filios nuptiæ fuerant lege prohibitæ, quæ in primis hominibus inter fratres & sorores initæ sunt.* Hæc Hieron. in trad. Heb. super Genesin. Cumque pro-

prodigiosos aliquarum gentium ob incestuosa conjugia mores notet, id tamen, quod cum consobrinis coirent, non culpat. *Scottorum Natio*, inquit, *uxores proprias non habet, & quasi Platonis politiam legerit, & Catonis sectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria est, sed ut cuique libitum fuerit, pecudum more, lasciviunt. Persæ, Medi, Indi, Æthiopes, regna non modica, & Romano regno paria, cum Matrib: & Aviis, cum Filiab: & Neptibus copulantur.* lib. 2. Adv: Jovianum.

Instinctu Ambrosii, cui magna erat cum Theodosio Imperatore familiaritas, immutata res est: atq; tum imprimis his Nuptiis, quas inhonestas censuit, interdictum est. Ambrosius Ep. 66. ubi Paternum redarguit, quòd Filio Neptem ex Filia copulare voluerit, postquam confusionem vocabulorum, quibus diversa cognationum genera notabantur, recensuisset, factamque eam confusionem ex eo quod Neptis Avunculo nuberet; sic scribit. *Quid est quod dubitari queat, cùm lex divina etiam Patrueles fratres prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu:* — & paulò post, *sed si divina te prætereunt, saltem Imperatorum præcepta, à quibus amplissimum accepisti Honorem, haudquaquam præterire te debent. Nam Theodosius Imperator etiam patrueles Fratres & Consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, & severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora, & tamen illi invicem sibi æquales sunt: — sed dicis alicui relaxatum. Verum, hoc legi non præjudicat, Quod enim in commune statuitur, ei tantùm proficit, cui relaxatum videtur.*

Augustinus etiam, qui prope Ambrosii ætatem, in Ecclesia floruit, censuit honestius suo tempore prohibita fuisse Consobrinarum conjugia. Idque duplici Ratione. 1ª Quia sic habita est ratio rectissima Caritatis, ut homines, quibus est utilis & honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur, nec unus in una multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos; ac sic ad socialem vitam diligentius colligandam, plurimæ plurimos obtinerent. 2. Quia inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atq; laudabile, ut cui

debeat

debeat, causâ propinquitatis, verecundum honorem, ab eo se contineat. *Experti*, inquit, *sumus in connubiis Consobrinorum, etiam vestris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam rarò per mores fiebat, quod fieri per leges licebat; quia id nec Divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex Humana. Verumtamen factum etiam Licitum, propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum Consobrinâ pœnè cum Sorore fieri videbatur.* Augustin: de Civit: Dei lib. 15. c. 16. Divinâ autem lege non fuisse has nuptias prohibitas apertè ostendunt Patrem intellexisse verba ista: *Nec divina prohibuit*; & quod matrimonium Consobrinorum, *factum licitum* nuncupet.

Sed postquam jus Canonicum invaluit, immutata plane in Ecclesia etiam res est.

1. In Concilio quippe Agathensi, anno 505. celebrato, cap. 61. de Incestis conjugiis. Incesti definiuntur *Si quis relictam Fratris, quæ pene prius Soror extiterat, carnali copulatione polluerit; Si quis Frater germanam sororem acceperit; Si quis Novercã duxerit; Si quis Consobrinæ suæ se sociaverit; Si quis Relictæ aut filiæ Avunculi miscetur, aut Patrui filiæ aut privignæ suæ, aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam Consanguineus habuit, concubitu polluat, aut duxerit uxorem.* Decreti p. 2. c. 35. q. 2, 3. c. 8.

2. In Aurelianensi 3tio, Anno Dom. 540. interdictum est, *Ne quis Conjugii nomine sociare præsumat relictam Patris, filiam Uxoris, relictam Fratris, Sororem uxoris, Consobrinam, aut Sobrinam, relictam Avunculi vel Patrui.*

3. Gregorius Magnus circa annum 590. ad Augustinum Anglorum Episcopum sic scribit. *Quædam Lex terrena in rep. Romana permittit, ut sive Fratris*

& Sororis, seu duorum fratrum Germanorum, seu duarum, Sororum, Filius & Filia misceantur. Sed experimento didicimus, tali conjugio sobolem nō posse succrescere; & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare: unde necesse est, ut in 4ª & quinta generatione fidelium licenter conjugantur, &c. Decr. p. 2. causa. 35. q. 2, 3. cap 20.

* Crassa Gregorii hallucinatio.

4. In Conc. Romano. 1. Anno 721. cap. 8. *Si quis Consobrinam duxerit in Conjugium, Anathema sit.*

Illud tamen permagni videtur momenti, ut debitè observetur hanc Consobrinorum, & cæteram in remotioribus gradibus, abstinentiam, Ecclesiam præcepisse, non ex autoritate divinâ, sed suâ.

Patet: 1. ex Decr. p. 2. causa: 35. q. 1. ad finem. ubi hæc sunt verba. *Sicut Apostolus quadam consutendo addidit, quæ Evangelicis præceptis non inveniebantur definita, nec tamen ideo tanquam temeraria vel superflua ab aliis Apostolis sunt repudiata: Sic & Ecclesia post Apostolica instituta quædam consilia perfectionis addidit, utpote de Continentia Ministrorum, de Confectione mysteriorum, de celebratione Officiorum, quæ nullatenus respuenda sunt, sed diligenti veneratione suspicienda. Consanguineorum ergo conjunctiones, quamvis Evangelicis & Apostolicis præceptis non inveniantur prohibitæ, sunt tamen fugiendæ; quia Ecclesiasticis institutionibus inveniuntur interminatæ.*

2 Decret. p. 2 c. 35. q. 5 cap. 6. ad finem declarationis arboris affinitatis sic legitur. *Ultimo quæritur an prohibitio Consanguineorum vel Affinium conjungendorum procedat ex prohibitione divinâ an ex humana, & quare facta fuit prohibitio. Breviter scias, quod olim, propter necessitatem, Frater habuit contrahere cum Sorore, & Consanguinei cum Consanguineis, unde tunc in collaterali linea non erat prohibitio, hoc fuit in principio generis*

neris humani in Filiis & Nepotibus Mos. In Levitico verò prohibitæ fuerunt ferè duodecim personæ. Demum Jus positivum canonicum prohibuit consanguineos & affines primi generis conjungi in 7° gradu & citeriori: quæ prohibitio postea ad 4tum est restricta. Per quod patet, quod prohibitio partim procedat ex jure Divino, & partim ex Positivo; unde in secundo gradu æqualis lineæ collaterales contrahere possunt jure Divino, sed non Positivo.

3. Idem confirmat Thomas, ubi hanc conclusionem ponit. *Possunt ex Ecclesiæ statuto aliqui consanguinitatis gradus matrimonium impedientes laxari, prout Ecclesia, à Spiritu Sancto edocta, humano generi utile esse judicaverit:* Supplem. q: 54. art: 4. atque ib. art. 3. Concludit, *Non tantùm Divinum & Naturale, sed & Jus per homines institutum* (aliis non obligantibus) *ad abstinentiam à Matrimonio obligare:* Bonaventura in l. 4. sent dist. 40. q. 2. concludit, *Legem naturæ prohibere conjunctionem stipitis ad prolem: Divinam, Matrimonium per Consanguinitatem usque ad 2dum gradum: statutum Ecclesiæ impedire à 2do gradu, & deinceps.* vide etiam Greg. de Valentia tom. 3. disp: 9. q. 3. punct. 3. Atque Rabanus in epistolâ ad Cardinalem Humbertum *Quod,* inquit, *Pontifices usque ad sextum vel septimum gradum conjugium prohibent, magis ex consuetudine humana, quam ex lege Divina eos præcepisse credendum,* Adeò ut ex jure Canonico Pontifex Maximus, qui in primo & secundo gradu non potest dispensare *late. Glossa in c. pitacium* 30. *q.* 3. quia Deus prohibuit; nec in lineâ ascendentium *Panormitan. c. Literas n.* 17. *de restit. spol.* in his tamen qui conjunguntur ut Consobrini facilè dispensat. *c. quod dilectio. De consang. & affin.*

Summa igitur Historiæ de reputatâ aut honestate

aut

Summa historiæ de reputatâ harum Nuptiarum honestate.

aut inhonestate Nuptiarum inter Consobrinos, tam in Imperio Romano quàm Christianâ Ecclesiâ, hæc videtur. Quod ex quo floruit Respub: aut Imperium, quindecim solummodo annorum tempore, Jus Civile Consobrinorum prohibuit conjugia: idque à latâ constitutione Theodosii ad annum quintum Arcadii & Honorii. Atque isto etiam temporis intervallo, petitâ saltem Principis Indulgentiâ, justa hæc fiebant & legitima Matrimonia

In Ecclesia antiquiori omnes, uno excepto S. Ambrosio, Patres, honestas & jure divino legitimas has pronunciabant nuptias. Atque idem in sequiori Ecclesiæ ætate, de earundem, ex jure divino, licentiâ, ferè est judicatum. Sed placuit Ecclesiæ aut sepem prohibitis à Deo gradibus, aliorum interdictorum adjectione, ponere; aut forte ex abundanti, quædam, propriâ authoritate prohibere, ut haberet in quo posset ipsa veniam concedere & dispensare. Quippe quod prius de Theodosii rescripto observatum est, de Canonibus Ecclesiæ, hac in causâ non minus obtinet. Non prohibita esse absolutè hæc conjugia, quæ, petitâ *Συγχωρήσει* sive Indulgentiâ (hæc autem, suprà ostendi quàm facilè concedi possit) eodem approbante canone, non obstante propinquitatis gradu, *casta* redduntur *Matrimonia* (ut verbis Indulgentiæ utar) *& gloriosa permistiones.*

FINIS.